

nam de ratione virtutis est, quod sit circa difficile, & ita se habet magis ad magis, sicut simpliciter ad simpliciter; sed peccatum est levius circa difficile, iuxta dicta num. 115. ergo.

Respondetur, obiectum dupliciter posse dici difficile: vel intrinsece, difficultate desumpta ex intrinseca perfectione obiecti, quo pacto Deus, ut attingibilis per charitatem, est obiectum summe difficile & arduum, tam respectu charitatis, quam respectu vitij contrarij. Vel extrinsece, difficultate desumpta ex aliquo motivo extrinseco, quod removet appetitum à tali obiecto, & impellit ad oppositum. Et hoc pacto se habent pericula mortis respectu fortitudinis, quæ difficile vincuntur, & non nisi per conatum efficacissimum: ex se enim potius retrahunt appetitum, coguntque illum ad fugam obiecti fortitudinis, redduntque ipsam fugam minus voluntariam, & quodammodo coactam. Igitur virtutis perfectio non desumitur per ordinem ad difficile posteriori modo, sed priori. Et hoc pacto vitia opposita virtutibus, quæ dantur ad vincendam difficultatem prioris generis, sunt graviora ex genere, quam vitia, quæ opponuntur virtutibus non habentibus tantam difficultatem formalem, seu intrinsecam. Peccata verò opposita virtutibus habentibus maiorem difficultatem extrinsecam, minuantur accidentaliter ex defectu voluntarij: quamvis accidere possit, quod etiam habeant maiorem difficultatem intrinsecam, ut in obiecto fortitudinis contingit.

## DISPUT. II.

## De Peccatis in particulari.



N hac secunda disputatione ad difficiliores, & satis tenebrosas quaestiones, nebulisque densissimis referas accedimus. Pro quibus explanandis imploramus auxilium Dei ex alto, & specialem lucem duorum magnorum luminarium Ecclesiae Magni Parentis Augustini, & Div. Thomæ.

## DUBIUM I.

An omisio, quæ tantum est voluntaria in causa, sit in se formaliter peccatum?

Inter divisiones peccati celebrior est apud Authores divisio illius in peccatum omissionis, & commissionis. Hoc consistit in eo, quod immediate opponitur præcepto negativo, ut furtum, & fornicatio, quæ opponuntur directè his præceptis, Non furaberis: Non machabe-

ris. Illud consistit in eo, quod directè transgreditur præceptum affirmativum, ut omisio audiendi Sacrum. Et de hoc agemus in hoc dubio; & de altero in sequenti. Et licet circa peccatum omissionis possint plures, & perutiles quaestiones excitari, solum eligimus vnam, contentam in titulo proposito: quia ea, in qua solet inquiri: an peccatum omissionis requiratur aliquod actum: quæ est satis plausibilis, iam manet decisa tract. 9. disp. 1. dub. 4. Aliæ, quæ sunt minoris momenti, levi calamo tangemus, vel per modum suppositionis, vel per modum corollarij.

Difficultas tamen in titulo proposita procedit in hoc sensu: Quis advertens circa horam duodecimam instare præceptum audiendi Sacrum, & hoc prævidens, vel voluntariè nolens prævidere, somno se tradit: inquiritur, an non auditio Sacri sit peccatum præcisè in causa: an verò sit in se formaliter peccatum, etiam si omisio sequatur in ebrietate, vel somno, quo tempore vrger præceptum, vitari non possit? Ad quod parum refert, quòd omisio sit interna, vel externa: quia quantum ad presentem difficultatem parum differunt, ut ex dicendis constabit.

In qua controversia tres referuntur sententia, duæ extremae, & altera media. ¶ Prima extrema asserit, solum imputari ad culpam, quando instat præceptum, & actus exterior omittitur. Pro ea citari solent Marilius in 2. quest. 27. conc. 4. Altisodor. lib. 2. tract. 29. cap. 2. quest. 3. & D. Thom. 2. 2. quest. 79. art. 3. ad 3. ¶ Secunda extrema docet, solum imputari ad culpam, quando ponitur causa voluntaria; non verò quando sequitur omisio exterior in somno. Ex quo inferit, omissionem sequentiam non esse peccatum, sed peccati effectum. Pro qua referuntur D. Bonav. Gabriel, Adrianus, Angelus: eamque expressè tenet ex recentioribus Societatis Vazquez in præf. disp. 94. cap. 3. Arriaga disp. 45. Amicus disp. 22. sect. 4. Oviedo contrav. 6. punct. 7. & alij passim. Ex discipulis Scoti, Matrius in 2. disp. 6. quest. 5. & alij. ¶ Tertia media tenet, peccatum omissionis contrahi utroque tempore, nempe quando ponitur causa omissionis, & quando omittitur actus in instanti, quo obligat præceptum. Ita communiter Thomista, Caiet. Soto, Medina, Alvarez, Montes, Martinez, Serra, Godoy, N. Salmant. in hoc tract. disp. 5. dub. 6. & alij innumeri. Ex Societate, Sanchez, tom. 3. de Matrim. lib. 9. disp. 45. num. 18. Lorca disp. 7. Valentia disp. 7. quest. 1. punct. 4. Suarez disp. 3. sect. 4. num. 5. Salas, Becan. & alij.



## §. I.

Suppositio quedam contra Authores primæ opinionis.

1. Supponendum est, actum illum, qui est causa omissionis male vel directè, vel indirectè, quatenus est incompossibilis cum actu præcepto, esse in se peccatum. Ita communiter Theologi contra Authores primæ sententia. Et quidem de actu, qui directè seu expressè tendit ad omittendum actum præceptum, est omnino certum apud omnes: nam actus ille habet obiectum malum, nempe omissionem prohibitam: ergo est peccatum per ordinem ad illam.

De alio actu indirectè causante omissionem peccaminosam, probatur: nam qui libere dat causam omissioni peccaminosæ, virtualiter saltem & interpretative vult ipsam omissionem: sed actus virtualiter & interpretative volens obiectum peccaminosum est malus: ergo actus indirectè influens in omissionem pravam est peccaminosus.

Confirmatur primò: Actus habens circumstantiam malam est malus; sed actus indirectè (verè tamen) influens in omissionem peccaminosam habet circumstantiam pravam, nempe circumstantiam ipsius omissionis: & propterea Div. Thom. quest. 2. de Malo, art. 1. ad 7. secundi ordinis ait: *Hoc ipsum, quod est laudare Deum ore, potest male fieri, si hoc fiat, quando non debet, quando scilicet homo alia facere tenetur*: ergo. Hac eadem ratione docent communiter Theologi, quòd ingressus viri in domum femina ob causam piam, si præbeat occasionem scandalæ, aut peccandi, est ex his circumstantijs peccatum: ergo actus influens indirectè in omissionem pravam est peccatum.

Confirmatur secundo: Qui se exponit periculo peccandi, eo ipso peccat, est peccatum aliud non sequatur: ergo potiori titulo peccat, qui verè, etsi indirectè, influat in omissionem. ¶ Confirmatur tertio: Qui legem transgreditur, peccat; sed qui libere influat in omissionem, adhuc indirectè, legem transgreditur: siquidem lex prohibens omissionem, prohibet ex consequenti omnem causam impediendam actum præceptum, & inferentem omissionem: ergo.

2. Ex his inferitur primò, quòd actus, qui est causa omissionis peccaminosæ, tantum constituit vnum peccatum cum ea in genere moris, quamvis sit diversum in genere physico. Secunda pars constat: nam actus, qui est causa omissionis pravæ, est intrinsece peccatum, ob tendentiam positivam ad obiectum dissonum: ergo est malus positivè; sed malus positiva non est eadem physice cum malitia omissionis, quæ est privativa: ergo sunt duo peccata in genere physico.

Prima verò pars suadet: nam actus inter se subordinati, & pravi per ordinem ad eundem finem pravum, nisi aliunde videntur, non constituunt diversa peccata moraliter, quamvis importent malitias physice distinctas, ut liquet in actu intentionis, electionis, & usus per ordinem ad eundem finem pravum; sed omisio interior, & actus, qui est causa illius, se habent huiusmodi: ergo non sunt duo peccata moraliter. Alias teneretur quis explicare in confessione actum, qui est causa omissionis; quod nullus dicit: cum sit contra praxim communem fidelium. Et hoc apparet evidens in actu expresso, & directo volendi ipsam omissionem.

3. Sed inquires: an prædictus actus dicatur peccatum *commissionis*; vel potius *omissionis*? ¶ Ad quod cum distinctione respondendum est: nam si sumatur prædictum peccatum initiative, est *commissio*, propter rationem proximè datam. Si verò sumatur complete, terminative, & obiective, est peccatum *omissionis*: cum respiciat eam ut obiectum, & terminum, per ipsamque totum peccatum compleatur. Absolutè tamen, & nulla reduplicatione facta, dicendum est peccatum *omissionis*. Nam peccatum omissionis dicitur tale absolutè, quando directè tendit contra præceptum affirmativum: sicut peccatum commissionis dicitur tale absolutè, quando tendit directè contra præceptum negativum; sed actus, qui est causa omissionis pravæ, directè opponitur præcepto affirmativo, hoc est nulli alteri præcepto persè opponitur, nisi præcepto, cui opponitur omisio, & non nisi ratione ipsius omissionis: ergo absolutè est peccatum omissionis.

4. Inferitur secundo, non omne opus coexistens omissioni, & incompatible cum observantia præcepti affirmativi vitiarè ab illa. Ita communiter Theologi, contra Valentiam, Loricam, Granados, & alios asserentes, omnia opera incompossibilia cum actu præcepto esse prava. Et contra Vazquez docentem, primum opus exterius incompossibile cum observantia præcepti esse pravum per ordinem ad omissionem, etsi supponat decretum firmum, & efficacax omittendi, scus verò alia opera subsequenter. In vno omnes conveniunt, quòd si opus, adhuc incompossibile cum observantia præcepti, non influeret in omissionem, non vitaretur ab ea. Unde tota difficultas est, an opera incompossibilia cum actu præcepto, & exercita tempore quo instat præceptum, verè influant in eam, si supponant voluntatem efficacem omittendi? ¶ Nostra igitur resolutio est, quòd nullum opus exterius incompatible cum observantia præcepti influat verè in omissionem, si supponat propositum firmum, & efficacax omittendi actum præceptum. Unde siquis est determinatus efficaciter ad non audiendum Sacrum, manere in domo, ludere, aut studere, non vitian-

tantur ab omissione Sacri: quia non insunt in eam, sed præcisè se habent hæc opera concomitantè: dummodo aliquod opus ex prædictis post præfatum decretum non assumatur ut modum ad ipsam omissionem.

Et probatur breviter, & efficaciter quoad opera incompossibilia, supponitur tamen aliquod opus incompossibile. Et claritatis gratia, supponamus, quod primum opus, quod quis exequitur, est manere in domo; & secundum, ne sit otiosus, studium: tunc studium defecto non impedit auditionem Sacri: ergo defecto non insunt in omissionem Sacri. Antecedens probatur: nam studium iam supponit permanentiam in domo; sed hæc totaliter impedit auditionem Sacri: ergo studium iam supponit impeditam auditionem Sacri, & sic defecto eam non impedit.

Confirmatur: Nam si quis, postquam statuit manere in domo ad non audiendum Sacrum ob pluviam, vel ob vitandum laborem itineris, voveret aliqua opera misericordie, vel alia opera virtutis, ne esset otiosus, teneretur ad ea, quis hoc neget? sed hoc non posset dici, cum votum non obliget ad rem positivè malam: quinimò teneretur se abstinere ab omni opere bono; dummodo esset incompossibile cum observantia præcepti, quod nullus dicit: ergo.

Hinc etiam probatur quoad primum opus exterioris, v. g. quoad permanentiam in domo post propositum efficacem non audiendum Sacrum. Nam permanentia in domo iam supponit decretum efficacem impediens defecto & totaliter auditionem Sacri: ergo licet ex se sit sufficiens ad impediendam auditionem Sacri, defecto tamen non impedit: ergo neque insunt in omissionem Sacri. Antecedens probatur: nam propositum efficacem potest esse causa totalis impediens auditionem Sacri independentè ab altero quocumque opere exteriori, ita ut quodlibet opus ad illud sequutum se habeat omnino per accidens: ergo si defecto prædictum propositum præcedit, permanentia in domo iam supponit totaliter impeditam auditionem Sacri per prædictum decretum.

5. Sed obijcies nonnulla exempla. Sit primum: si quis esset firmiter paratus ad furandum, non moveretur ab alio ad furandum, etiamsi præfaret ei consilium; & tamen qui daret consilium, inficiaretur malicie furii: ergo pariter omne opus incompossibile cum auditione Sacri inficiatur malicia omissionis, estò supponat propositum efficacem non audiendum Sacrum. ¶ Secundum: si Sacerdos navigans, post decretum efficacem non recitandi in tota navigatione, projiceret breviarium in mare, projectio hæc esset peccaminosa, & causa omissionis subsequens. ¶ Tertium: nam post propositum efficacem non restituendi bona aliena, potest quis illa donare amicis; & tamen peccaret in illa donatione, quatenus impedit restitutionem: ergo. ¶ Quartum: nam non potest ne-

gari, quòd qui habet propositum firmum non audiendum Sacrum, si postea se tradit somno, in hoc actu peccat.

Ad primum exemplum respondetur, fatendum, quòd consilium esset peccatum, estò non, insinueret in furtum: sed hoc ideo est, quia respicit pro obiecto essentiali ipsum furtum. Quæ ratio non militat in nostro casu, ut ex se liquet. ¶ Ad secundum respondetur, quòd illa projectio breviarii potest comparari ad recitationem primæ diei, & ad recitationem subsequentem, per totam navigationem. Potest contingere, quòd illa non recitatio ex vi propositi efficacis sit futura certissime saltem moraliter pro prima die: & hæc ratione projectio breviarii in mare relatè ad primam diem non vitatur ex omissione sequuta. Ad illud propositum, moraliter loquendo, nequit ita firmari toto tempore navigationis, cum ab intrinseco sit variabile: & propter hanc rationem projectio breviarii reddens impossibilem recitationem toto tempore navigationis, verè insunt in omissiones subsequentes. Per quod constat ad tertium, & quartum exemplum.

## §. II.

## D. Thome sententia.

8. Dicendum est, omissionem actus præcepti, voluntariam saltem in causa esse in se formaliter peccatum, & non tantum effectum peccati. Hæc assertio est D. Thomæ pluribus in locis, præsertim 2. 2. quæst. 79. art. 3. ad 3. ubi loquens de omissione actus præcepti, eveniente tempore ebrietatis, in quo quis est impotens ad faciendum, quod debet, sic concludit: *Unde dicendum est, quòd omisio incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; tamen propter causam præcedentem, ex qua omisio sequens redditur voluntaria.*

Et probatur ratione contenta in verbis præcedentibus. Nam omisio voluntaria in causa opponitur persè formaliter præcepto affirmativo: ergo in se est formaliter peccatum. Antecedens probatur: tum quia præceptum audiendum Sacrum sicut persè præcipit auditionem Sacri, ita persè prohibet omissionem Sacri: ergo omisio Sacri, dummodo sit voluntaria in causa, opponitur persè præcepto affirmativo. *Tum etiam:* Nam dum quis voluntarie ponit causam prædictæ omissionis, aliquid exiit, quod persè & directè opponatur præcepto affirmativo; sed non est actus: si quidem actus prohibetur non ratione sui, sed quia est causa omissionis: ergo ipsa omisio est, quæ persè, directè, & formaliter, opponitur præcepto affirmativo.

7. Respondent primò Adversarij, quòd ipsa omisio solum prohibetur vt obiectum, secus verò vt exercitium peccaminosum: & hoc modo tantum opponitur præcepto affirmativo. ¶ Se-

cundò: quòd si quis sit ebrius, aut dormiens tempore quo insat præceptum, non est capax aliquis præcepti ex defectu libertatis, iuxta illam regulam iuris, *Ad impossibile nemo tenetur.* Unde præceptum illud solum prohibet causam, ex qua sequatur remotè talis omisio.

Contra primam avasione arguitur: Nam præceptum illi prohibet, ut præcipit directè, quòd persè & directè est sub regula moris; sed obiectum vt tale non est directè & persè sub regula moris, sed ratione actus: ergo vel omisio illa non prohibetur directè, vel prohibetur non solum vt obiectum, sed etiam vt exercitium. Maior cum consequentia constat. Et minor liquet: nam obiecta, sicut & habitus solum sunt, aut continentur sub regula moris seu sub præcepto, quatenus sunt principium, aut terminus actus, qui immediatè cadit sub præcepto, vt diximus tract. 10. disp. 1.

Confirmatur: Nam quidquid est malum obiectivè, sit malum formaliter, quomocumque proveniat à voluntate: & propterea actus exterior, qui respectivè ad actum interiorem exercet munus obiecti, redditur malus formaliter, eo ipso quod sit effectus voluntatis, si secundum se est malus obiectivè: ergo omisio non solum prohibetur vt obiectum, sed etiam vt exercitium.

Contra secundam arguitur: Præceptum audiendum Sacrum tantum prohibet causam omissionis, quia illius causa est; sed hoc est prohibere omissionem directè & ratione sui, & causam ratione ipsius omissionis: ergo præceptum illud non solum prohibet causam omissionis, sed etiam ipsam omissionem. *Urgetur:* Nam præceptum audiendum Sacrum persè primò est affirmativum, & indirectè negativum: ergo, qua parte est affirmativum, solum obligat pro tempore determinato, v. g. hora duodecima: & qua parte est negativum, obligat pro semper; sed præceptum huiusmodi obligat semper ad non apponendam causam impeditivam præcepti: ergo signum est, quòd directè prohibet omissionem, & causam illius tantum indirectè.

Roboratur: Nam si omisio sequuta tempore somni nullo modo caderet sub præcepto, nec causa, ex qua sequeretur, caderet sub illo; sed hoc non admittit Adversarij, alias non esset peccatum: ergo omisio ipsa cadit sub præcepto: & si cadit sub præcepto, reverà debet esse directè & ratione sui. Sequela maioris probatur: nam causa prædictæ omissionis positivè sumpta non prohibetur, quia multoties secundum se est bona; alias non prohibetur relatè ad omissionem: ergo nullo modo caderet sub præcepto. Minor probatur: tum quia si prohiberetur relatè ad omissionem, iam non prohiberetur ratione sui, sed quia prohibetur ipsa omisio adhuc in somno sequuta. *Tum etiam:* Nam nulla causa prohibetur relatè ad illum effectum, qui in executione positus, non est in se malus: & propterea quilibet

potest desiderare effectum, qui in se non est malus, sive sequatur ex causa secundum se prava, sive ex causa secundum se honesta. Et ita quilibet potest desiderare nutrir, postquam comedit carnes in die prohibito: potest etiam appetere bonum partium ex pravo concubitu sequutum, vt concedunt Adversarij. ¶ Dicere autem, quòd est illicitum desiderare omissionem, quia est peccatum in causa: est incidere in apertam petitionem principij; cum supponatur, causam esse peccatum persè & ratione sui, & non relatè ad omissionem.

8. Secundò probatur conclusio ratione, & iterum refellitur vtraque evasio nuper adducta. Nam ad hoc vt aliquid sit peccatum in se, satis est, quòd ex se sit contra præceptum, & simul sit voluntarium in causa; sed omisio Sacri secundum se est contra præceptum, & eveniens in somno est voluntaria in causa: ergo in se est formaliter peccatum. Minor quoad primam partem supponitur ad statum questionis: & quoad secundam admittitur ab Adversarijs. Maior verò probatur nonnullis exemplis. Nam quando quis se inebriat, ipsa ebrietas in se est peccatum; & tamen tantum potest esse voluntaria in causa: ergo voluntarium in causa satis est ad hoc, vt aliquid sit in se peccatum. ¶ Similiter Clericus projiciens breviarium in mare, non solum peccat projiciendo breviarium, sed etiam diebus sequentibus per omissionem recitationis, quamvis solum sit voluntaria in causa. ¶ Tandem, qui propinavit venenum, ex cuius vi sequitur mors Clerici, peccat formaliter, estò mors illius sit tantum voluntaria in causa. Cuius signum est, quòd incurrit censuram, & tenetur, ipsa morte sequuta, confiteri illam.

9. Respondent Adversarij negando maiorem. Et vt occurrant exemplis, statuunt quandam regulam ad cognoscendum, quando operationes, seu effectus sequuti ex causa aliqua voluntaria imputantur in se operanti, & quando non. Dicunt enim, quòd tunc effectus imputatur operanti, quando sequitur immediatè ad causam voluntariam, nec intercedit multum temporis: quia tunc reputatur coniunctus operanti, seu causæ liberæ in æstimatione prudentum: si verò multum temporis tranfit, videtur quasi disparatè se habere in æstimatione prudentum, licet verè sit effectus voluntatis. Neque ex obligatione consentendi vnum vel alterum effectum, aut ex censura, quæ incurritur, sequitur, esse in se formaliter peccatum: quia ad hoc sufficit, quòd quis apponat causam, ex qua infallibiliter sequatur talis effectus. Et retorquent nostram rationem contra nos: siquidem in nostra sententia, si pœniteat ante sequutum effectum, v. g. ante mortem Clerici, mors illa non est peccatum; & tamen incurrit censuram, & tenetur illam confiteri.

Sed contra est primò adversus prædictam regulam. Nam effectus sequutus ad causam volun-

luntariam, inevitabilis, & non retractatus per penitentiam, eodem modo est voluntarius tam physice, quam moraliter, sive sequatur post multum temporis ad causam voluntariam, sive immediate: ergo vel in vtroque casu imputatur perse operanti, vel in nullo. Antecedens quoad voluntarietatem physicam non negatur ab Adversariis, nec potest negari: quia ex se patet. Quoad voluntarietatem vero moralem esse ipsa voluntarietate physica suadet: nam hac est fundamentum alterius, & quoad estimationem prudentum parum, aut nihil refert, quod intercedat parum, aut multum temporis. Et ita non recitatio horum post projectionem breviorij non minus censetur voluntaria in estimatione prudentum in secundo, aut tertio die navigationis, quam in primo: quis hoc negabit, si adit prævisto equalis? ergo inconsequenter procedunt Adversarij admitteutes, effectum sequutum immediate ad causam voluntariam esse in se peccatum, secus vero si intercedat multum temporis; si aliunde vterque effectus est saltem voluntarius in causa physice.

Contra est secundò, & simul refellitur id, quod de censura contra nos retorquetur. Nam ad excommunicationem incurendam propter delictum homicidij duplex conditio necessario requiritur, nempe contumacia, & homicidium externum capax subire denominationem peccati: quia, vt docent communiter Theologi, censura est pena medicinalis, non ad punitionem, sed ad emendationem ordinata; sed vtraque conditio deficit, si ante effectum sequutum, v. g. ante mortem Clerici, quis peniteat: siquidem ex vna parte iam est emendatus, & ex alia clericidium sequutum, ex vi retractationis, iam non est capax subeundi denominationem peccati, proindeque nec effectus externus moralis causa præcedentis: ergo non incurrit censuram.

Contra est tertio, & simul refellitur prædicta evasio quoad obligationem explicandi in confessione mortem reipsa sequutam post retractationem. Tum quia similes effectus, iuxta probabilem aliquorum opinionem, quam tenet N. Antonius à Spiritu-sancto in suo Direct. Confes. tract. 5. num. 338. cum pluribus Theologis à se relatis, non tenetur quis explicare in confessione, etiam si non præcedat retractatio: ergo (quidquid sit de probabilitate huius opinionis) priori titulo non tenetur illos explicare, si præcedat. Tum etiam: Nam perse loquendo non tenetur quis explicare in confessione id, quod est vtemque effectus peccati, vt liquet in effectibus recentis num. 7. sed requiritur adhuc in sententia Adversariorum, quod sit in se peccatum, aut effectus moralis peccati; atqui, præcedente retractatione, mors sequuta ad causam voluntariam nec est in se peccatum, nec est effectus moralis peccati: ergo non tenetur quis illam confiteri, si præcedat retractatio. ¶ Urgetur

hoc in non recitatione horarum sequuta ad projectionem breviorij in mare: quæ si intercedat retractatio voluntatis, non debet explicari in confessione in communi sententia Theologorum.

10 Tertio, & vltimo probatur nostra conclusio: Nam si mulier virgo somno se tradat, vt ab aliquo viro cognoscatur, non solum peccat, quando somno se tradit, sed etiam quando in ipso somno desolatur: ergo voluntarium saltem in causa est in se formaliter peccatum. Antecedens probatur: nam virginitas, prout est virtus, non amittitur irreparabiliter nisi per peccatum, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 152. art. 3. sed mulier illa in tali casu omittit irreparabiliter virginitatem, & aureolam virginibus debitam: ergo peccat in ipsa actuali desolatione.

11 Huic rationi potest responderi ex doctrina Adversariorum, negando antecedens. Et ad eius probationem potest dici, quod vt amittatur virginitas in illo casu quoad id, quod est irreparabile, satis est, quod mulier illa habeat pravam voluntatem, vt dormiens desolaretur, dummodo ponatur, vt conditio sine qua non, desolatio externa.

Sed contra est. Nam si per possibile, vel impossibile mulier illa se exposuit desolationis periculo taliter, quod, posita causa, non possit desolationem evitare, postea tamen peniteat, & desolatio peniteat, & postea à viro cognosceretur; tunc non amitteret virginitatem, quoad id quod est irreparabile: cum desolatio exterior se habeat tantum de materiali & per accidens; & nihilominus iam habuit voluntatem peccaminosam, & posita est ea conditio, nempe desolatio externa: ergo amplius requiritur, vt virginitas irreparabiliter amittatur præter voluntatem antecedentem, & effectum sequutum; hoc nequit esse aliud, quam quod desolatio fit in se peccatum: ergo.

Nota tamen pro maiori intelligentia eorum, quæ hucusque dicta sunt, & §. sequenti dicenda, conclusionem debere intelligi de omissionibus tam internis, quam externis: quia cum in sententia omnium omissiones tam interiores, quam exteriores sint (sicut loquendo) tantum voluntariæ in causa, comparantur ad eam tantum effectus illius, vt subiectum tamen perse, & materia denominationis peccaminosæ, & propterea tantum extrinsecè sunt peccata, denominatione sumpta ab actu, qui est causa omittendi, ad eum modum quo actus externi denominantur peccata ab actibus internis, iuxta dicta tract. 10. disp.

2. dub. 3.



## §. III.

## Argumentorum enodatio.

12 Arguitur primò ex D. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 5. vbi ait: Sic igitur patet, quod nocturna pollutio nunquam est peccatum, sed quandoque est sequela peccati præcedentis. Similiter quæst. 150. art. 1. ait: Dicendum, quod ebrietas dupliciter potest accipi: Uno modo, prout significat ipsum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato: ex quo fit, vt non sit compos rationis. Et secundum hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum penalem consequentem ex culpa. Quod probat ad 2. Quia defectus ille rationis, in quo ebrietas consistit, involuntarius est. Sed eadem ratio est de omissione actus debiti in somno sequuta: ergo hæc non est in se peccatum.

Ad primam autoritatem respondetur cum Caiet. & Ferre, pollutionem in somnis perse nunquam esse peccatum. Ideoque N. Salmant. in hoc tract. disp. 11. num. 37. sentiunt cum Sanchez, delectationem de illa esse licitam, existente bono fine, vt siquis delectetur de illa propter sanitatem: quia prout se eveniens tantum est quedam evacuatio naturalis, sicut sudor, in quo nihil splendet contrarium rationi, ac proinde secundum se non est mala obiective. Cum quo stat, quod per accidens, idest quando homo vitur somno vt instrumento malitiæ ad executionem mali, fit in se peccatum formaliter: quia peccatum inchoat elicitive in vigilia, & consummatur per instrumentum somni in ipsa pollutione. Et hoc est intentum D. Thomæ.

Ad secundam respondetur, defectum illum rationis non dicere culpam, sed defectum causatum ex culpa originali: quia secundum se causatur ex nimio vino potato: qui defectus non sequeretur in statu iustitiæ originalis, etiam si daretur nimius excessus vini. Alio modo potest accipi, prout oritur ex inordinata concupiscentia vini: & ebrietas sic sumpta est peccatum, vt docet D. Thom. ibi in fine corpor. articuli.

13 Arguitur secundò: Nam quod non est voluntarium in se, non est in se peccatum; sed supponimus, omissionem esse tantum voluntariam in causa: ergo non est peccatum in se. Maior probatur primò: quia peccatum fundatur supra rationem voluntarij: ergo quod non est voluntarium in se, nec est in se peccatum. Secundò: Sicut libertas est fundamentum meriti, ita est fundamentum peccati; sed quod est liberum tantum in causa, tantum potest esse meritorium in causa: ergo etiam quod est tantum liberum in causa, est tantum in ea peccatum. Tertio: Quia non minor libertas requiritur ad conficienda Sacramenta, quam ad peccandum; sed ad conficienda Sacramenta non sufficit libertas in causa; ergo nec ad peccandum.

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

Ad hoc argumentum, & primam eius probationem respondet Godoy num. 31. & sequent. eodem modo philosophando de ratione libertatis, & de ratione peccati: & inquit, quod omisio, sicut est peccatum in se, etiam est libera in se: & sicut denominatur in se libera à causa, ita denominatur peccatum in se, non à se, sed à causa. Nec hoc est incidere in sententiam contrariam: nam Adversarij taliter docent omissionem esse liberam, & peccaminosam in causa, seu à causa, quod denominatio peccati sinitur in causa, & non transeat ad omissionem: ille vero concedit, denominationem peccati transire ad omissionem. Quam solutionem prius tradiderunt NN. Salm. in præf. disp. 5. num. 120. & sequentibus.

Sed hanc solutionem refellit Ferre num. 753. ex eo quod omisio in se, & à se opponitur præcepto affirmativo: præceptum enim audiendi Sacrum perse solum prohibet omissionem Sacri determinato tempore, licet per accidens prohibeat causam omissionis: ideoque peccatum omissionis, perse loquendo, tantum incipit tempore, quod perse inest præceptum, licet quando ponitur causa fit peccatum commissionis, iuxta dicta num. 3. ergo non eodem modo est peccatum, & libera: Maxime: Quia iuxta hunc modum dicendi sequitur, totum dissidium inter nos, & Adversarios esse tantum de voce, vt culibet consideranti constabit.

Ad hanc replicam respondetur, furtum exterius in se, & à se opponi præcepto non furandi, denominarique in se & formaliter peccatum; & tamen non est intrinsecè peccatum, sed tantum extrinsecè denominatione desumpta ab actu interiori. Item omisio Sacri externa ponitur in se, & à se præcepto affirmativo audiendi Sacrum, denominaturque in se, & formaliter peccatum, sed extrinsecè ab omissione interna, quando hæc est in se formaliter & extrinsecè libera; vel à causa, quando tantum est libera in causa. ¶ Nec ob hoc lis inter nos, & adversarios est tantum de voce: quia iuxta adversarios tota denominatio peccati sinitur in causa, sed iuxta nos denominatio peccati transiit ad omissionem sive internam, sive externam, eo modo, quo in sententia omnium Thomistarum furtum exterius denominatur in se peccatum, sed tantum extrinsecè.

Ad secundam probationem respondetur, concessis præmissis; negando consequentiam. Et ratio disparitatis est: quia magis requiritur ad bonum, quam ad malum. Accedit: Quod omisio peccaminosa, & pollutio nocturna, naturaliter loquendo, possunt supponere causam voluntariam verè influentem in eam: quod non ita contigit in actu secundum se bono elicto in somnis. Et propterea D. Thom. in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. quæst. 1. ad 1. ait: Dicendum, quod secundum quod Augustinus ait, Sa-

Iomnis petitio in somnis facta placuisse Deo, & remunerationem invenisse dicitur pro bono desiderio prius habito, quod in somnis per signum tante petitionis claruit; non quod in somnis meruisset.

Ad tertiam respondetur, permittendo maiorem. Et concessa minori, si homo non fit sui compos, negatur absolute consequentia. Et ratio disparitatis est, quod Sacramenta ex parte formae consistunt in verbis, quae debent esse non utcumque prolata, sed ut signa practica illius, quod efficiunt: & ad hoc requiritur, quod homo fit sui compos saltem habitualiter. Et propter hanc rationem speciale ebrius, aut dormiens nequit valide consecrere Sacramentum. *Maxime*: Quia difficile apparet, quod detur causa persè influens in praedicta verba cuius oppositum evidenter constat in omissione.

14 Arguitur tertio ab aliquibus inconvenientibus. Nam sequitur primo, illi, qui ex causa voluntaria incidit in infirmitatem cum praevisione omnium omissionum, quae inde possunt sequi contra praecipua, & ex hac intentione, imputari ad culpam omnes huiusmodi omissiones, cum sint voluntariae in causa; hoc videtur nimis durum. ergo. ¶ Sequitur secundo, peccata, quae consistunt in verbis, ut blasphemiae, convitia &c. imputari ebrio, vel dormienti, si in vigilia habeat voluntatem, & animum proferendi illa verba in somno: cum essent voluntaria in causa. ¶ Sequitur tertio, eum, qui ex prava consuetudine iurandi, abique plena deliberatione periuraret, toties peccare mortaliter, quoties periuraret: quia tunc periurium est voluntarium in causa. ¶ Sequitur quarto, imputari alicui omnia peccata, quae ab alijs eius exemplo, consilio, aut praecipio committuntur: quia sunt voluntaria in causa, nempe consilij, exempli, praecipii; sed hoc videtur falsum, alias teneretur investigare tot peccata, quae ab alijs motis ex scandalo, exemplo &c. perpetrata sunt, & ea omnia explicare in confessione, quod nullus dixit: satisfacit enim oneri confessionis, si dicat, se iussisse, consuluisse tot vicibus, & tot personis, non curando, an ab istis peccata fuerint commissa, nisi forte propter onus restituendi: ergo.

Ad hoc argument. respondetur, negando sequi ex nostra sententia aliquid inconveniens. *Non primum*: Nam omissiones sequuntur ex aliqua infirmitate voluntariae contracta non sunt voluntariae in causa, quia non sunt omissiones actus debiti. Leges enim humanae non obligant infirmos quando in eis non adsunt vires sufficientes ad eis obediendum: proinde extracti sunt à lege non minus proprie, ac ille qui recederet à loco ubi obligat praecipium icinandi, aut audiendi Sacrum.

15 Sed contra hanc solutionem instat Ferre, & Godoy (quibus non placet) ex D. Thoma

inf. quæst. 77. art. 7 ad 3, ubi ad ostendendum, quod infirmitas corporis non excusat à peccato sic ait: *Dicendum, quod infirmitas corporis est involuntaria. Est autem simile, si esset voluntaria, sicut de ebrietate dictum est, quae est quaedam corporalis infirmitas.* ¶ Et confirmatur primo: Nam ibidem in corpore articuli docet quod infania voluntariae contracta non excusat à peccato; & tamen est quaedam infirmitas corporis: ergo. ¶ Confirmatur secundo: Quia sicut infirmus, quando est infirmus, non potest audire Sacrum, ita dormiens, dum dormit: ergo vel in nullo casu extrahitur à lege, vel in utroque.

Propter hanc solutionem contraria non caret probabilitate. Sed non potest negari, quod iuxta illam infirmi maximis angerentur angustijs & scrupulis: nam si infirmus continetur intra legem, teneretur cum vitæ dispendio icinare, audire Sacrum, recitare &c. si horum omissiones imputantur ei ad culpam, quando infirmitas est voluntaria, & eo sine intentata. Quinimò est infirmitas non esset intentata ex illo motivo: quia omnino per accidens se habet, quod infirmitas contrahatur per causam peccaminosam, vel necessariam, ad hoc ut infirmus sit extractus à lege, si infirmitas in se est eiusdem rationis. *Adde*: Nam sequeretur, quod est poeniteret, adhuc manebat sub obligatione illorum praecipiorum, & tenebatur vitare illorum omissiones: quia unusquisque tenetur vitare suum peccatum: ut liquet in Clerico, qui in initio navigationis projecit breviarium, qui quidem tenetur adhibere omnem moralem diligentiam ad recitandum, quod nullus, etsi maxime timoratus, de infirmo hoc dicit.

16 Unde manendo in solutione data: Respondetur ad instantiam, D. Thomam non loqui de infirmitate naturali, quae est simpliciter talis, sed de infirmitate, quae est tantum secundum quid, quales sunt infania, & ebrietas. Pro quo advertit ex ipso Angelico Magistro, infaniam posse duplitem evenire, vel ex aliquo amore, vel ira inordinata, & voluntaria: & in hoc casu concedit, esse peccata, quae quis facit cum tali infania, si praevideatur: & quantum ad hoc assimilata eam ebrietati. Vel ex aliqua infirmitate naturali: & tunc infania, quae est proprie infirmitas, totaliter à peccato excusat. Per quod constat ad primam confirmat.

Ad secundam respondetur, non quamlibet impotentiam ad observandum praecipium extrahere subiectum à lege, sed illam, quae est persè, & quae tollit ab eo vires necessarias, & persè requisitas ad exercendum opus praecipium: & hoc modo se habet infirmitas. Ebrietas vero, vel somnus non sic vires auferunt, immò eas supponunt; & solum ligant rationem, ne dormiens, aut ebrius utatur illis, sicut deberet. Unde haec impotentia est tantum secundum quid,

quid, & insufficientis ad extrahendum subiectum à lege. Quid dicendum sit de his, qui in carcere detinentur, si delictum committant ex praevisione incarcerationis, & animo vt exonerentur ab obligatione audiendi Sacrum &c. facis colligitur ex dictis, quod non manent extracti à lege, ac proinde omissiones illae praeviae, & intentione praevia: Sicut de excommunicatione ligatis affirmat N. Andreas, tract. de Censur. cap. 3. num. 72. inter quos est valde de materiali, quod sint constructi ferro, aut nexibus spiritalibus. Et ratio huius est: quia hi omnes non sunt absolute, & intrinsecè impotentes, sed tantum secundum quid, & extrinsecè, ob impedimenta extrinsecè, quae non adimunt vires intrinsecas.

17 Ad secundum inconveniens respondetur, negando sequelam. Quia verba illa non sunt talia formaliter, nam elicità à dormiente, aut ebrio non sunt significativa: & propterea diximus supra, dormientem, aut ebrium non esse capacem conficiendi Sacramenta. Et ita licet qui data opera se inebriaret, vt verba blasphemiae, aut convitiij de ebrietate proferret, non propterea blasphemaret, aut convitiaret: peccaret tamen per accidens in prava illa voluntate, vel ratione conscientiae erroneae, vel ratione scandali. Quae ratio non militat in operibus, & omissionibus peccaminosis.

Ad tertium respondetur eodem modo: quod licet ille, qui ex prava consuetudine sapius perjurat, peccet mortaliter, quando est sui compos, est aliò distractus, secus vero quando non est sui compos: quia verba illa sunt quidam soni materiales, & non formaliter verba, & periuria. Pro quo videatur D. Thom. 2. 2. quæst. 72. art. 2. *Adde*: Quod illa consuetudo non est causa persè influens in periuria, aut verba prolata in somno, aut ebrietate.

Ut ad quartum respondeatur, praenota primo, duplitem posse aliquid esse causam alicuius peccati, vel per modum principij activi exequentis illud, & eius postremum dominium in se habentis: vel per modum obiecti moventis moraliter voluntatem alterius suppositi, à quo exerceri debet peccatum ipsum. Igitur ei, qui primo modo concurrat, imputatur peccatum tanquam proprium; secus vero ei, qui secundo modo concurrat. Et ratio est: quia denominatio peccantis, & peccati est propria operantis vitaliter, liber, & ab intrinsecò. Unde qui hoc modo non concurrat, non imputatur ei peccatum, neque vt suum reputatur: vt patet in obiecto, sine, & circumstantijs (dempta circumstantia quis) quia licet sint causa peccati, non concurrunt priori, sed posteriori modo.

Nota secundò, quod ex parte obiecti non solum concurrunt obiectum, & circumstantia, sed etiam qui haec proponit, praecipit, suadet, consulit, aut scandalizat: quia omnia haec sunt

quaedam conditiones obiecti, quatenus efficaciter movent voluntatem peccantis.

Ex his iam patet solutio. Dicimus enim, quod peccata, quae in alijs sequuntur ex scandalo, aut consilio alterius, non imputantur ei, qui suadet, consulit, aut scandalizat, tanquam propria peccata illius, cum non concurrat per modum principij intrinseci, & habentis ultimum dominium, sed tantum per modum obiecti, movendo moraliter, & extrinsecè: proinde non tenetur illa explicare in confessione, sed satisfacit eius oneri, si dicat, se iussisse &c. modo descripto in argumento.

Nota tamen pro his, & similibus argumentis, aequè vrgere contra Adversarios: qui tenentur concedere tot peccata, quot nos concedimus in seipsis, cum eadem obligatione explicandi illa in confessione. ¶ Nota secundò pro complemento huius dubij, omnia, quae hucusque diximus, posse pariformiter applicari his peccatis, quae resultant ex ignorantia vincibili, quae tantum sunt voluntaria in causa. De quibus late agunt N. Salm. in hoc tract. disp. 13.

DUBIUM II.

An in peccato commissionis sit aliqua malitia privativa?

HOC dubium oportet praemittere, quia ad subsequens nonnullam sternit viam: si enim in peccato commissionis nulla reperitur malitia privativa, dubium subsequens circa eius constitutionem omni prorsus dubietate carebit. Ut autem circa difficultatem propositam cum maiori claritate procedamus, nonnulla notanda, & supponenda sunt.

§. I.

Praenotabilia, & suppositiones.

18 Nota primò, ad malitiam privativam duas condiciones praerequiri, capacitem videlicet, & debitum: hinc quippe duabus conditionibus adequatè distinguitur carentia, quae est privatio, à carentia quae est negatio: vt liquet in lapide, in quo carentia rationalitatis est pura negatio, non solum quia caret debito illius, sed quia tam secundum conceptum genericum proximum, quam secundum suam differentiam atomam dicit repugnantiam ad eam. Liqueat etiam in homine, in quo, si consideretur secundum suam ultimam differentiam, carentia hincibilitatis, ex defectu utriusque praetate conditionis, est pura negatio: & si consideretur secundum conceptum genericum proximum, scilicet conceptum animalis, etiam est negatio: nam quamvis sit capax hincibilitatis secundum praedictum conceptum, nullam tamen

exigentiam dicit ad eam, cum sit indifferens ad illam, & ad rationalitatem, & ob defectum debiti est negatio, & non privatio.

Quæ doctrina impræsentiarum videtur plusquam certa: nam per carentiam perfectionis nullo modo debita nihil efficitur malum moraliter, & imputabile; sed in omnium sententia per malitiam privativam homo redditur malus imputabiliter: necesse ergo est, quod in peccante adfit capacitas, & debitum, seu exigentia ad perfectionem seu rectitudinem virtutis.

19 Nota secundò, quod rectitudo hæc dupliciter potest imaginari: vel prout debita potentia actum pravum eliciat, quatenus tenebatur alium loco elicere: vel prout debita ipsi actui pravo. Ut autem malitia privativa in actu ipso statuatur, requiritur in ipso, & non tantum in potentia, exigentia ad rectitudinem virtutis: alias si vtraque conditio reperitur in potentia, & aliqua deficit in actu, in potentia carentia rectitudinis erit privatio, in actu vero negatio.

20 Ex quo omnes merito supponunt duo: & quod in actu datur carentia rectitudinis, quæ sit falsum negatio: cum non minus sit certum, quod odium Dei caret rectitudine charitatis, & aliarum virtutum, quam quod lapis caret rationalitate. Et quod falsum respectu potentia carentia alicuius rectitudinis est vera privatio: cum certum sit apud omnes, hominem, dum odio habet Deum, teneri ad eum diligendum; vel ad minus ad non eum odio habendum. Difficultas tamen est, & non modica inter Noltrates, & Recentiores Societatis: an prædicta carentia sit respectu actus negatio, an vero privatio? quod idem est, ac inquirere: an in ipso actu peccati commissio datur malitia privativa?

21 Pro quo nota tertio, debitum esse duplex, aliud physicum, & aliud morale. Physicum est illud, quod quælibet natura fundat per sua prædicata constitutiva. Et quia hæc possunt considerari vel adæquatè, vel inadæquatè, potest bipartiri in physicum, & metaphysicum; itant hoc sit tale, quando fundatur in prædicatis inadæquatè sumptis, quo pacto animalitati est debita contractio per rationalitatem, vel irrationalitatem: illud vero sit, quando fundatur in ipsa re, vt adæquatè existentibus: & hoc modo substantia corporea existenti debitum est terminari aliqua figura. Debitum morale est illud, quod provenit ex lege: sicut ex lege temperantia tenetur quis temperatè comedere, & ex lege Religionis audire Sacram in die festo.

22 Supponimus, quod actus, qui ab intrinseco sunt pravi, vt odium Dei, non habent debitum physicum, aut metaphysicum rectitudinis. Non physicum: quia physicè considerati important repugnantiam cum rectitudine. Nec metaphysicum: quia ad illud desideratur, quod secundum conceptum genericum actus humani

dicerent exigentiam ad rectitudinem; sed hæc non important, cum indifferentes sint ad bonitatem, & malitiam: ergo non habent debitum metaphysicum ad rectitudinem: qua ratione animalitas non dicit debitum ad rationalitatem determinatè. Unde tota difficultas reducitur ad debitum morale ortum ex lege præscribente omnibus actibus humanis rectitudinem aliquam.

23 Nota quartò, quod licet peccatum lethale (& proportione servata, etiam veniale) plures privationes inducat, scilicet gratia, omnique insularum virtutum, & donorum; non tamen de illis est sermo in præsentia, quia non subieciuntur in actu, sed in anima, vel eius potentijs, sicut ipse forma, licet in aliqua illarum consistat peccatum habituale, vt infra dicemus. Unde dubium procedit de privatione rectitudinis debite immediate ipsi actui ex vi legis, quam si haberet, illam in se immediate reperit.

His prænotatis, & suppositis, circa hæc difficultatem duplex militat sententia. Prima asserit, carentiam rectitudinis in actu malo ab intrinseco, vt in odio Dei, non esse privationem, sed negationem, quamvis respectu potentia sit privatio. Ita Suarez disp. 7. sect. 6. cap. 5. quest. 1. num. 13. quem sequuntur communiter Recentiores Societatis. Nonnullis asserentibus, adhuc respectu potentia esse negationem: qui modus dicendi solet tribui Almayno, Vazquez, & alijs. ¶ Secunda docet, in prædicto actu, & in quocumque alio peccaminoso, sive prohibito, quia malo; sive malo, quia prohibito, carentiam rectitudinis esse veram privationem moralem. Ita Thomista (inter quos non infimum obtinet locum N. Salmant. in hoc tract. disp. 6. dub. 1.) Quibus adherent plures Scoti discipuli. Quamvis in assignanda rectitudine, cuius est immediata privatio, aliquantulum dissentiant. Pro qua sit.

## §. II.

### D. Thomæ sententia.

24 **D**icendum est, in odio Dei dari veram privationem rectitudinis. Ita passim D. Thom. in præf. quest. 71. art. 6. vbi ait: *Habet actus humanus, quod sit malus, ex eo quod caret debita commensuratione.* Idipsum habet alijs in locis, infra dub. seq. referendis. Accedit modus loquendi tam sac. Scriptura, quam SS. PP. vbi peccatum in communi appellatur nominibus denotantibus privationem.

Et probatur ratione: Nam actus habens carentiam rectitudinis sibi debita ex lege, nequit non habere malitiam privativam; sed omnis actio humana (idest deliberata) peccaminosa habet carentiam rectitudinis sibi debita ex lege: ergo omnis actio humana peccaminosa

idest

idest peccatum commissio, habet veram privationem. Maior ex prænotatis constat. Minor vero probatur: quia omni actioni humanae, & deliberatae debita est aliqua rectitudo ex lege; sed actio peccaminosa, v.g. odium Dei, est actio humana, & caret prædicta rectitudine debita ei ex lege: ergo habet carentiam rectitudinis sibi debita ex lege. Minor cum consequentia constat: & maior potius debet supponi, quam probari, ex dictis tract. 10. pro actibus indifferentibus. Quibus consentiunt Suarez, & Salas, negantes ex vi prædictæ legis actus indifferentes in individuo.

Urgetur hoc, principio magis vniuersali non innixo sententia determinatè Thomistarum circa indifferentiam humanorum actuum. Nam in omnium sententia, dum quis deliberatè operatur, tenetur ex vi legis non operari inhonestè positivè: ergo in omni actione humana datur debitum conformitatis cum prædicta lege; sed odium Dei caret prædicta conformitate: ergo carentia illius est privatio, & non tantum negatio: ergo in odio Dei datur vera privatio moralis.

25 Respondebis ex doctrina Adversariorum, negando, prædictam legem præcipientem, quod voluntas honestè operetur, vel non operetur inhonestè semper ac deliberatè operatur: quia lex non præcipit impossibilia; & impossibile est, quod dum quis odio habet Deum, non inhonestè operetur. Unde lex tantum præcipit, quod eliciat actionem deliberatam, quæ bona est, vel quod non eliciat actionem malam; non vero quod, dum determinatur ad actionem ex se malam, illam eliciat non inhonestè: hoc enim chimæra est. Quo circa totum penes voluntatem est, non penes actionem.

Hæc tamen evasio rejicitur primò, vt pote contra D. Thom. quest. seq. 72. art. 1. ad 2. vbi loquens de peccato commissio, ait, quod non est pura privatio, sed est actus debito ordine privatus: ergo privatio conformitatis cum lege non est in potentia, sed in ipso actu peccati. ¶ Secundò: Privatio inducta per peccatum commissio recipi debet in eodem immediato subiecto, in quo recipitur forma, cuius est privatio immedata; sed forma, cuius est privatio, recipitur immedatè in actu, & non in potentia: ergo etiam privatio inducta per peccatum commissio. Minor probatur: privatio inducta per peccatum commissio non est privatio actus debiti, aliàs esset peccatum omisso, sed est privatio vel conformitatis cum lege, vel, quod in idem recidit, rectitudinis actus virtuosus; at sic est, quod huiusmodi conformitas, aut rectitudo non est in potentia, sed in actu: lex enim non prohibet, ne operemur; sed in suppositione quod operemur, ne operemur inhonestè: nec præcipit, quod operemur, sed in suppositione quod operemur, operemur rectè: ergo for-

ma, cuius est privatio, non recipitur immedatè in potentia, sed in actu.

26 Tertio, & vrgentiùs. Pro quo nota primò, quod lex absoluta alia est affirmativa; & alia negativa: prima præcipit, vt actus bonus fiat: secunda prohibet, ne actus malus fiat: quarum differentia sita est in eo, quod prima frangitur per peccatum omisso; & secunda per peccatum commissio. ¶ Nota secundò, quod prædicta lex negativa, licet sit absoluta in prohibendo, est simul affirmativa conditionalis in præcipiendo: quia ita prohibet, ne actus malus fiat; quod simul præcipit, quod si quis operetur, operetur bene; & non male, vt liquet in illa lege, *Declina à malo, & fac bonum*: quæ non est vnicè, & absolute negativa, nec est absolute præceptiva: quia nullus potest obligari ad hoc, vt semper operetur bene: est ergo præceptiva conditionaliter ad hunc sensum: *Vel non opereris, vel opereris bene, & non male.* Non minus liquet hæc lex absolute negativa, & conditionaliter affirmativa imposita Sacerdoti celebranti: nulla enim est lex obligans Sacerdoti quotidie celebrare; ex suppositione tamen, quod celebret, lex religionis ita absolute prohibet nunquam celebrare sine debito sine, sine vestibus sacris &c. vt simul conditionatè præcipiat celebrare cum prædictis circumstantijs.

27 Hæc lex affirmativa conditionalis elucidari potest in operibus consilij: Nulla enim lex datur absoluta præcipientis huiusmodi opera: datur tamen lex conditionalis, quod ex suppositione quod operemur in materia consiliorum, operemur rectè. Ratio est persè nota: nam sicut nequit dari malum morale nisi per dissonantiam ad aliquam legem; pariter nequit dari bonum morale nisi per conformitatem ad aliquam legem; sed actus consilij non est conformis cum lege absolute præcipienti illum, cum non detur talis lex: ergo præcipit illum conditionatè, & consequenter supponit hominem deliberatè operantem.

Ex quibus colligitur, stare, quam optimè, quod aliquis actus nec secundum gradum genericum, nec secundum gradum specificum legè absolute præcipiatur, vt liquet in actionibus relictis. Stare insuper, quod talis actus secundum gradum genericum nec præcipiatur, nec prohibetur; & nihilominus secundum gradum specificum prohibetur, vel præcipiatur: gradus enim genericus actus in materia charitatis identificatus vel cum amore Dei, vel cum odio Dei non semper præcipitur, vt ex se liquet, nec prohibetur, quia est indifferens ad bonum, & ad malum; & tamen odium Dei secundum gradum specificum prohibetur; & rectitudo opposita præcipitur: quod est idem, ac præcipi conditionatè.

28 Hinc ergo rejicitur tertio prædicta evasio.

fo. Datur enim lex prohibens gradum specifi-  
cum odij Dei, quin prohibeat gradum generi-  
cum; & similiter precipiens conditionate, quòd,  
in suppositione quòd quis operetur in materia  
charitatis, diligat Deum, & non odio habeat  
illum: ergo relictio charitatis, & conformita-  
tis cum lege non est immediate debita potentie,  
sed actui. Antecedens constat ex proximè prae-  
notatis. Et consequentia probatur: nam lex suppo-  
nens aliquid actus non cadit immediate supra  
potentiam; sed supra ipsum actum; atqui prae-  
dicta lex negativa absoluta, & praeceptiva condi-  
tionaliter supponit actum secundum gradum ge-  
nericum, vt ex dictis constat: ergo relictio cha-  
ritatis, debita ex praedicta lege, non est debita  
potentiae immediate, sed actui.

## §. III.

## Obiectio satis difficilis.

29 **A**rguitur primò contra nostram as-  
sertionem. Nam odio Dei nulla est  
debita relictio: ergo carentia relictionis in eo  
non est privatio, sed pura negatio. Antecedens  
probat: odio Dei nequit deberi relictio, quae  
illi repugnat; sed nulla est relictio, quae  
odio Dei non repugnet: ergo odio Dei nulla est  
debita relictio. Maior est certa: quia debitum  
ad aliquam formam supponit capacitatem, &  
non repugnantiam ad illam. Minor verò pro-  
batur: nam odio Dei repugnat, quòd sit bonum  
moraliter: ergo nulla est relictio, quae illi non  
repugnet.

30 Nec prodest recursus ad odium Dei se-  
cundum rationem communem actus humani.  
Nam nulla est relictio, quae non repugnet odio  
Dei secundum suam ultimam differentiam: ergo  
etiam repugnat secundum rationem actus huma-  
ni. Probat consequentia: nam si non repugna-  
ret ei etiam secundum rationem communem  
actus humani, esset capax non habendi ultimam  
differentiam odij Dei, secundum quam repug-  
nat ei omnis relictio; sed incapax est, adhuc  
secundum rationem communem actus humani,  
non habendi ultimam eius differentiam; cum illa  
ratio communis realiter identificetur cum ultima  
differentia, ac proinde sit ab ea inseparabilis: er-  
go nulla est relictio, quae odio Dei non repug-  
net secundum rationem communem actus huma-  
ni.

Ad argumentum respondetur solutione in-  
ter arguendum insinuat, quae optima est, & de-  
ducta ex dictis num. 26. & sequentibus. Nam li-  
cet odio Dei ratione suae ultimae differentiae re-  
pugnet, quòd sit bonum moraliter, secus verò  
secundum rationem communem actus humani.  
Sicut animali vt contracto per rationale, & ra-  
tione istius differentiae repugnat contrahi per ir-  
racionale; secus verò secundum ipsam rationem

communem secundum se consideratam. Et quam-  
vis hoc satis sit, ut non habeat debitum physicum,  
aut metaphysicum ad aliquam relictionem; non  
tamen obstat, vt habeat ad illam debitum mo-  
rale, seu ex lege conditionali praecipienti, quòd  
si quis operaturus sit in materia charitatis, ope-  
retur bene: quae lex supponit, quantum est ex  
se, operationem secundum rationem commu-  
nem actus humani, cui non repugnat contra-  
hi per bonitatem: qua supposita, praecipit vt  
contrahatur per bonitatem, & non per mali-  
tiam.

Ad replicam respondetur concedendo ante-  
cedens; & distinguendo consequens: secundum ra-  
tionem communem actus humani considerati à  
parte rei, concedo consequentiam; considerati  
praecipivè, nego consequentiam. Cuius probatio  
non urget: Nam quamvis odium Dei secundum  
quocumque conceptum physicè consideratum sit  
incapax non habendi suam ultimam differentiam,  
ac proinde habendi relictionem moralem, quòd  
tantum deducitur ex identificatione illius cum  
ultima differentia; secundum conceptum verò  
genericum praecipivè sumptum capax est non ha-  
bendi suam ultimam differentiam, & habendi  
relictionem moralem. Et hoc sufficit, vt sit ma-  
teria legis conditionatae. Nam cum lex ex vna  
parte sit actus rationis, potest tendere in ratio-  
nem communem actus praecipivè sumptam, dum-  
modo in re sit fundamentum, vt talis ratio com-  
munis sub ea praesensione concipiatur: quod rever-  
rà existit in odio Dei; cum realiter conveniat, &  
realiter assimilatur actui amoris Dei in ratione  
actus humani. Ex alia parte lex conditionata  
non obligat, nisi in suppositione quòd quis ope-  
retur in tali materia: ideòque supponit, quan-  
tum est ex se, illum operantem, & praecipit, vt  
sua operatio quasi vaga, aut praesens determinetur  
per relictionem talis materiae. Unde suffi-  
ciens capacitas datur ad hoc, vt sit materia legis,  
ex qua ortum ducit debitum praesens morale, ra-  
tione cuius carentia relictionis est privatio, &  
non tantum negatio.

31 Arguitur secundò, & erit replica contra  
praecedentem solutionem. Carentia relictionis  
non recipitur in odio Dei secundum conceptum  
genericum, sed secundum conceptum differen-  
tiale; sed praedicta relictio repugnat ei secundum  
conceptum differentialem: ergo non est  
privatio, sed negatio. Minor cum consequentia  
constat. Et maior probatur: nam carentia re-  
lictionis recipitur in actu, secundum illum con-  
ceptum quo ipsa relictio recipitur in actu op-  
posito; sed relictio recipitur in actu oppo-  
sito secundum conceptum differentialem: er-  
go.

Ad hoc argumentum respondetur, conces-  
sis praemissis; negando consequentiam. Nam vt  
carentia relictionis in odio Dei secundum suam  
ultimam differentiam recepta sit privatio, & non

tar-

tantum negatio, nec requiritur, quòd relictio  
debita sit ei secundum suam differentiam, nec  
quòd recipiatur in gradu generico, sed sufficit,  
quòd sit ei debita debito morali, seu ex lege ra-  
tione gradus communis: nam ex vi talis legis gra-  
dus communis debet contrahi per differentiam  
bonam, & non malam. Semel autem quòd con-  
trahatur per differentiam malam, carentia re-  
lictionis in ea reperta ex debito morali est priva-  
tio. Unde aliter discurrendum est de carentia  
physica, ac de carentia morali: illa enim, eo ipso  
quòd fit immediate in subiecto ex se incapaci ra-  
tione gradus recipientis formam, cuius est caren-  
tia, aut non exigentis eam, est negatio, & non  
privatio. At carentia morali, de qua loquimur,  
tantum petit capacitatem ex parte gradus com-  
munis, & legem, vt determinetur per differen-  
tiam bonam: si verò trahitur ad differentiam ma-  
lam eo ipso est privatio, adhuc vt recepta im-  
mediate in ipsa differentia.

32 Arguitur tertio: Si in peccato commis-  
sionis esset aliqua malitia privativa, hæc esset  
privatio alicuius relictionis; sed in peccato com-  
missionis, v. g. in odio Dei, nulla est privatio  
relictionis ergo nulla est malitia privativa. Mi-  
nor probatur: tum quia illi ad summum debetur  
conformitas cum lege prohibente odium Dei, sed  
vt praedicta conformitas detur, sufficit pura omis-  
sio ipsius odij, vel quilibet actus indifferens in  
individuo, in quibus nulla est relictio: ergo in  
odio Dei non reperitur aliqua privatio relictio-  
nis. Tum etiam: Nam ex tali lege solum debetur  
relictio vt sic; sed odium Dei nequit esse  
privatum nisi relictio determinatae speciei,  
cum sit peccatum determinatae speciei: ergo. Tum  
denique: Quia potest homo peccare in determina-  
ta materia peccato commissionis cum impotentia  
antecedenti ad bene operandum in tali materia:  
vt contingeret in eo, cui Deus ob manifestationem  
sui supremi dominij denegaret auxilia omnia  
sufficiens ad operandum bene in materia chari-  
tatis, & odio haberet illum: & in damnatis, in  
quibus ob sui oblivationem nulla adest potentia  
ad operandum bene, & quotidie odio habent  
Deum, & peccant pluribus peccatis commissionis:  
ergo tunc nulla est debita relictio ex lege; cum  
hac non praecipiat adhuc conditionate impossi-  
bilia.

Ad hoc argumentum respondetur, conce-  
dendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius  
primam probationem (missis brevitatis gratia  
varijs modis dicendi nostrorum Thomistarum)  
dicendum est imprimis, quòd praedicta lex condi-  
tionata supponit hominem operantem saltem  
secundum conceptum genericum; ideòque non  
sufficit pura omisio ad conformitatem cum  
praedicta lege, sed necessario requiritur operatio.  
Maximè, Quia omisio praedicta debet esse vo-  
luntaria, & libera, vt potest agentis deliberati; &  
iuxta nostra principia est impossibilis omisio

pura voluntaria. ¶ Deinde, actus indifferens in  
individuo, persè loquendo, non datur: & hac  
ratione per praedictum actum non ibit quis satis  
conformis cum tali lege, quae conditionate de-  
bet praecipere aliquam bonitatem: & in nulla sen-  
tentia datur lex praecipiva actus indifferens,  
adhuc permisso actu indifferenti in individuo  
persè loquendo.

33 Ad secundam probationem responde-  
tur, quòd sicut datur quaedam lex generalis pra-  
cipiens conditionate operationem virtuosam in  
communi, in suppositione quòd quis operetur vt  
sic deliberatè, etiam potest dari lex particularis  
( & recta ratio illa postulat) ad hoc vt operetur re-  
lictio propria talis materiae, in suppositione  
quòd in tali materia determinata operetur, v. g.  
in materia charitatis, vel iustitiae. Quocirca re-  
lictio debita est determinata, & vnica: quia talis  
lex generalis determinatur, seu subrogatur per  
legem illam peculiarem; & ita privatio debet esse  
determinatae speciei.

Nec contra hoc obest, quòd carentia hæc  
quandoque est carentia affectus supernaturalis,  
quandoque naturalis. ¶ Non, inquam, obest? Tum  
quia sola illa relictio est odio debita (ex  
suppositione quòd quis operetur in materia cha-  
ritatis) per quam actus evaderet rectus, & desine-  
ret esse odium Dei: quae duo verificarentur, si  
exerceret amorem praesens naturalem. Tum, &  
praecipue: Quia non inconvenit concedere, quòd  
in odio Dei terminato ad ipsum vt finem super-  
naturalem, & in odio Dei terminato ad ipsum vt  
finem naturalem dentur privationes speciei diver-  
sae, sicut ipsa peccata sunt speciei distincta. Tum  
denique (per quod pracluditur alia tacita replica) Nam  
privatio relictionis, quae est in odio Dei,  
non specificatur à relictio, qua privat, sumpta  
in esse entis, sed ab ipsa vt actu debita: in qua  
ratione omnes relictiones conveniunt, maximè  
quae sunt intra eundem ordinem vel naturalem,  
vel supernaturalem.

Per quod constat ad tertiam: Nam in pra-  
dicta hypothesi restaret potentia ad amorem Dei  
vel efficacem, vel inefficacem naturalem. ¶ Id  
quod tangitur de damnatis, facile dispellitur.  
Quia licet sit metaphysicè impossibile, posse  
peccare eum, qui potentia antecedenti non potest  
operari bene, cum requiratur libertas contradi-  
ctionis talis, vt homo possit velle non peccare  
tamen in damnatis adest tantum impotentia con-  
sequens ad non operandum bene, orta ex deter-  
minatione sibi libera, per quam constituntur in  
tali statu, & propterea possunt peccare, licet re-  
duplicative prout in illo statu non possint operari  
bene. Videatur D. Thom. de Mal. quæst. 16.  
art. 5. ad 11.

34 In calce huius dubij inquires primò: An  
malitia privativa consistat in carentia relictionis  
fundamentalis, vel solum in carentia relictionis  
fundamentalis? ¶ Ad quod respondetur, confi-

sterg

stere in carentia rectitudinis fundamentalis. Primò, quia consistit perse primò in carentia rectitudinis, quam homo perse primò tenetur ponere, vel saltem non excludere; quæ non est formalis, sed fundamentalis, ex qua resultat formalis. ¶ Secundò: quia multoties non præcipitur rectitudo formalis actus, sed solum fundamentalis, potestque proinde adimpleri præceptum sine aliqua rectitudine formali, imò cum formali irrectitudine, vt patet in actu elemosynæ factò ob vanam gloriam.

35 Inquire secundò: an in peccato vnus speciei detur multiplex malitia privativa? ¶ Respondetur negativè. Quia malitia privativa consistit in carentia formæ debitæ actui humano; sed actui humano in aliqua materia solum debetur vna forma, scilicet differentia bona moralis in tali materia: ergo solum datur vna privatio. Quare sicut actus bonus per vnam tantum formam evadit conformis legi, sic per vnam carentiam illius formæ caret actus malus conformitate debita ex lege.

## DUBIUM III.

Utrum in peccato commissionis detur malitia privativa?

36 **A**ccedimus ad celebriorem huius quæst. 71. D. Thomæ difficultatem, quam alijs terminis Authores solent excitare, videlicet: *Quòdnam sit formale constitutum peccati commissionis?* Sed in idem reipsa veniunt: si enim talis malitia positiva datur, cum sit prior in peccato privatione sequenti, absque dubio constituit formaliter peccatum. Si verò talis malitia non datur, sed omne positivum in peccato repertum sit præcisè sublatum denominatum à malitia, certè solum erit in eo malitia privativa, & hæc erit constitutiva peccati commissionis. In vno autem omnes Authores conveniunt, quòd peccatum commissionis constituitur in ratione mali simpliciter per privationem. Pro quo:

Nota, duplex esse malum, aliud absolutè tale; & aliud, quod præcisè dicitur tale respectu alicuius. Malum primi generis illud est, quod nihil entitatis includit: malum verò posterioris generis est, quod ita est malum respectu alicuius nature, vt tamen in se sit aliquid ens, & bonum transcendente. Omnia hæc cernere licet in aqua calida, vbi est calor, & privatio frigiditatis: itant privatio, vtpotè nihil, & nulli bona est malum simpliciter: calor verò, cum sit in se ens, & bonus, non est malum absolutè, sed tantum respectu aquæ, cui est dissonus physicè. Qui concedunt malitiam positivam in peccato commissionis, pariter affirmant, prædictam divisionem mali locum habere in moralibus: & aiunt, malitiam positivam esse

malum alicuius, & non malum absolutè. Quæ divisio, aut distinctio, prout ad præsens attinet, alijs terminis ab eis explicatur, nempe per malum morale, & per malum simpliciter: & valde consequenter dicunt, quòd peccatum commissionis in ratione mali simpliciter constituitur per malitiam privativam. Unde tota lis, & certè gravissima, inter Authores tam domesticos, quam extraneos est: an in eo reperitur malitia positiva, per quam in ratione ipsi moralis constituitur?

Duplex est satis probabilis sententia. Prima est affirmativa: quam tenent N. Salmant. & pro ea referunt plures Theologos tam Thomistas, quam ex familia Societatis, & Scoti. ¶ Secunda est negativa. Ita Ferre, Carrasco, Bancel. & alij Thomistæ in suis Manuscriptis. Ex familia Societatis Valentia, Suarez, Granados, Lorca, Azor, Salas, & alij. Et ex Schola Seraphica refertur Scotus dist. 35. cum alijs plurimis eiusdem familiae.

## §. I.

Vera sententia auctoritate firmata.

37 **D**icendum est, in peccato commissionis dari malitiam positivam. Probatur primò nonnullis auctoritatibus ad eò perspicuis D. Thomæ, vt nullum tergiversandi locum relinquat. Prima desumitur ex 2. 2. quæst. 6. art. 2. ad 2. vbi tradit duplicem solutionem, & in vtraque suadet malitiam positivam. Primò enim respondet: *Dicendum, quòd deformitas actus est de ratione speciei ipsius actus; sed Adversarij sicut negant malitiam positivam, ita negant propriam speciem moralem peccati commissionis: ergo semel quòd D. Thomas concedat deformitatem constituentem speciem moralem, vt defectò in prædictis verbis concedit, videtur concedere malitiam positivam. Sed quia in verbis proximè sequentibus, & in eadem solutione adductis recurrit præcisè ad malitiam privativam, videamus quomodo secundo respondeat: *Vel dicendum, quòd deformitas non solum importat privationem debite formæ, sed etiam contrariam dispositionem. Undè deformitas se habet ad actum, sicut falsitas ad fidem.* Ergo ultra malitiam privativam aperte admittit malitiam aliquam positivam. Probatur consequentia, & simul præcluditur evasio Adversariorum: Tum quia de hac deformitate contraria asserit, Deum non esse causam; sed, nisi esset deformitas formalis in linea morali, non subterfugeret causalitatem divinam, iuxta modum dicendi Adversariorum: ergo. *Tum etiam:* Nam in prima solutione loquitur de deformitate formali, vbi recurrit ad malitiam privativam, & supponit deformitatem contrariam materialem: ergo secunda solutio*

vel

vel nihil addit, vel perspicue concedit malitiam positivam formalem. Et licet prædicta habeantur secundo loco, ex quo fuboriri aliquis scrupulus potest, nihil interest: vel quia in solutione vltima sæpe continetur vltimum iudicium: vel quia Adversarij proclamant, D. Thomam nunquam meminisse malitiae positivæ.

38 Secunda desumitur ex 1. 2. quæst. 18. vbi per totam agit de actibus moralibus: & art. 5. proponit hoc argumentum, quod in ordine est secundum: *Malum, cum sit privatio, est quoddam non ens; sed non ens non potest esse differentia, secundum Philosoph. in 3. Metaph. cum ergo differentia constituat speciem, videtur, quòd aliquis actus ex hoc, quòd est malus, non constituitur in aliqua specie. Et ita bonum, & malum non diversificant speciem humanorum actuum (vtrique moralium reduplicativè vt moralium, vt sit ad eius intentum) Quid responderet D. Thomas, si solum in peccato agnosceret malitiam privativam? Concederet totum, vt concedunt Adversarij, propter infra dicenda. Sed audiant reverenter, & calceant eius solutionem: *Ad secundum, inquit: dicendum, quòd malum importat privationem non absolutam, sed consequentem talem potentiam. Dicitur enim malus actus secundum suam speciem, non ex eo quòd nullum habeat obiectum sed quia habet obiectum non conveniens rationi, sicut tollere aliena. Undè in quantum obiectum est aliquid positivè, potest constituisse speciem mali actus.**

Ex quibus verbis sic arguitur: D. Thomas intendit in prædicto articulo speciem actus moralis mali vt moralis, sicut speciem actus boni vt boni moraliter; sed non recurrit præcisè ad privationem formæ debitæ, sed ad tendentiam positivam ad obiectum, vt positivè dissonum rationi: ergo iuxta D. Thomam in actione mala datur malitia positiva. *Urgetur hoc:* Iuxta Div. Thomam actus malus, vt malus moraliter, habet speciem per ordinem ad obiectum dissonum; sed si haberet malitiam præcisè privativam, neque haberet propriè speciem, vt intendebat argumentum, & negat D. Thomas, neque illam haberet per ordinem ad obiectum vt positivè dissonum rationi, sed quia privaret rectitudine debita: ergo iuxta D. Thomam admittenda omnino est malitia positiva moralis. Ad eò apertum est hoc testimonium pro malitia positiva, vt nesciam, quò se vertant Adversarij, nec quam solutionem exhibeant: nam commune eorum effugium ad specificationem vel propriam in genere physico, vel improprium in genere mali omnino ex proximè dictis præoccupatum manet, vt considerant constabit.

39 Tertia habetur quæst. 2. de Malo art. 5. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd bonum, & malum in moralibus opponuntur contrariè, & non secundum privationem, & habitum: ma-*

lum enim ponit aliquid, in quantum consequitur ordinem, & modum, & speciem. Undè nihil prohibet, ea opponi mediè, sicut Philof. ponit. Quo quid expressius? Similis huic, & non minus clara, est ea, quæ desumitur ex quæst. 1. item de Malo, art. 1. ad 13. vbi inquit: *Bonum, & malum non sunt differentie nisi in moralibus, in quibus malum positivè aliquid dicitur.* Ubi, si locutio est formalis, vt decebat, aperte firmatur nostra sententia, nec vllam tergiversationem admittit: & sic à maiori ponderatione abstinemus.

40 Quarta educitur ex 1. 2. quæst. 18. & art. 5. supra citatis, vbi ait: *In actibus autem bonum, & malum dicitur per comparationem ad orationem: quia vt Dionys. dicit, bonum hominis est secundum rationem esse: malum autem quòd est præter (idest contra) rationem.... Patet ergo quòd differentia boni, & mali circa obiectum considerata comparatur verè ad rationem, secundum quòd obiectum est ei conveniens, vel non conveniens. Dicuntur autem aliqui actus humani, aut morales, secundum quòd sunt à ratione. Undè manifestum est, quòd bonum, & malum diversificant speciem in actibus moralibus.* Ergo iuxta D. Thomam differentia non solum boni, sed etiam mali moralis est propria, & desumpta per ordinem ad obiectum non conveniens rationi; sed iuxta Adversarios, negantes malitiam positivam, differentia mali moralis nec est propriè differentia, nec desumitur per ordinem ad obiectum: ergo manifestè agunt contra D. Thomam.

41 Roborantur hæc omnia, misis brevitate gratia alijs Div. Thomæ auctoritatibus, et si non minoris ponderis, fortè quia plures alias inter rationes immiscebimus. Nam D. Thomas in hac 1. 2. à quæst. 18. vsque in finem illius partis agit de actibus humanis vt moralibus. Item in 2. 2. per tot. de peccatis in ratione talium; sed iuxta communem eius doctrinam ibi stabilitam, actiones peccaminosæ habent malitiam positivam: ergo. Minor probatur: nam iuxta communem eius doctrinam actiones vt morales, generaliter loquendo, ideest tam bonæ, quam malæ, significantur ab obiectis vt subiectis regulis morum: item differunt specie rigorosa, habentque effectus specie rigorosa differentes: tandem peccata significantur, & diversificantur per ordinem ad obiecta rationi dissona: quam communem doctrinam confirmat D. Thomas passim cum actionibus sumptis in esse physico, sive sint voluntariæ, sive involuntariæ; sed hæc communis doctrina stare non valet, nisi admittatur in actionibus malis malitia positiva, vt ipsi adhuc Adversarij planè concedunt: ergo vel D. Thomas deseruit, vel admitti debet malitia positiva. Doctrinam illam generalem in proprijs locis non referimus: quia quilibet mediocriter in eius littera versatus potest eam facile invenire.

Roborantur vterius auctoritate sac. Scripturae, quae satis est pro malitia positiva. Nam Ierem. 2. dicitur: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* In quibus verbis satis distinguit malitiam privativam consistentem in averfione à Deo, dum dicit, *me dereliquerunt*: Et malitiam positivam consistentem in tendentia positiva ad malum morale, & explicatam in illis verbis, *foderunt sibi cisternas dissipatas.* Item Osee 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt.* Quo loco vritur Div. Thom. supra quæst. 18. art. 2. ad probandum, malitiam moralem specificam, actionis defumi ex obiecto; sed si operatio mala non habet malitiam positivam, nec habet malitiam propriè specificam, nec defumeretur ab obiecto, ut plane fatentur Adversarij: ergo iuxta Scripturam actio mala moraliter habet malitiam positivam.

42 Accedit modus loquendi SS. Patrum, qui explicant peccatum per positivum, Basil. enim in homil. 2. Hexam. ait: *Malum non est sentiam viventem, animaque præditam esse, sed effectiorem nimis virtuti contrariam.* Idem sentit Nizetas in Scholijs Nazianz. ad orat. 40. D. Ambros. lib. 1. de Parad. cap. 8. inquit: *Quid enim est peccatum, nisi divina legis prævaricatio, & celestium inobedientia mandatorum?* Ubi, ut vides, explicat essentiam peccati nominibus positivis. Non dissimilia sunt nomina *transgressionis, abominationis, & alia* huiusmodi, quibus frequenter Scriptura, & PP. vtuntur ad explicandas actiones peccaminosas. Quibus omnibus profundè perpensis, convincimur ad defendendam malitiam positivam in peccato commissiõnis, & ad profectendum, nostram sententiam esse ex omni capite probabiliorè opposita illam negante.

## §. II.

## Prima ratio pro nostra assertione.

43 **P**robatur primò ratione: Ante privationem rectitudinis intelligitur in peccato commissiõnis tendentia positiva ad obiectum dissonum reduplicativè ut *dissonum legi, & rationi*; sed hæc tendentia pro priè ad privationem eà mala moraliter: ergo datur in illo malitia positiva. Minor cum conscientia constat: quia tendentia illa sub illa reduplicacione non est physica, sed moralis, quæ, cum non fit per modum bonitatis moralis, erit tendentia per modum malitiae moralis. Maior verò probatur: nam peccatum commissiõnis in ratione formali peccati specificatur per ordinem ad obiectum reduplicativè ut dissonum legi, & rationi: ergo dicit tendentiam positivam ad obiectum reduplicativè ut dissonum legi, & ratio-

ni. Consequentia est legitima: quia omnis actio, prout specificatur à suo obiecto, dicit tendentiam positivam vel negativam, vel averfivam ad illud.

Antecedens probatur primò auctoritate D. Thomæ. Nam 2. 2. quæst. 10. art. 5. ad 1. sic ait: *Formalis ratio alicuius peccati potest accipi dupliciter: uno modo secundum intentionem peccantis: & secundum hoc id, ad quod convertitur peccans, est formale obiectum peccati: ergo iuxta D. Thom. peccatum commissiõnis in ratione formali peccati specificatur per ordinem ad obiectum reduplicativè ut dissonum legi, & rationi. Probatur consequentia: quia D. Thomas expressè loquitur de formali ratione peccati. Item 1. 2. quæst. 72. art. 6. in corp. inquit: *In peccatis est duplex differentia, una materialis, & alia formalis. Materialis quidem attenditur secundum naturalem speciem actuum peccati: formalis autem secundum ordinem ad unum finem proprium, quod est obiectum proprium. Unde inveniuntur aliqui actus materialiter specie differentes; qui tamen formaliter sunt in eadem specie peccati, quia ad idem ordinantur: sicut ad eandem speciem homicidij pertinet iugulatio, lapidatio, & perforatio, quamvis actus sint specie differentes secundum speciem naturæ.* Quo nihil clarius ad probandum illud antecedens: nam in peccato commissiõnis apertè distinguit D. Thomas duplicem speciem; aliam, quæ se habet in illo de materiali, & pertinet ad lineam physicam, & alteram, quæ in illo se habet de formali, & pertinet ad lineam moralem; sed de illa expressè asserit, defumi per ordinem ad obiectum (vtique moraliter sumptum) ergo secundum Div. Thomam peccatum commissiõnis specificatur in ratione talis ab obiecto.*

Probatur secundò ratione idem antecedens: nam malitia actus essentialiter dependet à malitia obiecti in genere causæ formalis extrinsecæ: ergo malitia specifica peccati commissiõnis sumitur per ordinem ad obiectum vt dissonum legi, & rationi. Patet consequentia: nam si malitia obiecti non influeret in malitiam actus, de materiali se haberet, quòd obiectum esset malum moraliter, seu legi dissonum, ad hoc vt actus esset malus moraliter.

Et confirmatur: Obiectum non solum in esse physico, sed etiam prout pertinet ad lineam moralem, potens est terminare actum voluntatis: ergo obiectum, prout malum moraliter, debet terminare tendentiam positivam sanè malam moraliter. Patet consequentia: nam actus ratione privationis non tendit ad obiectum adhuc vt moraliter malum, cum non specificatur ab eo. Antecedens probatur: tum quia actus procedit à voluntate vt ab agente morali, cum procedat ab ea vt subiecta regulis morum: ergo etiam obiectum reduplicativè ut morale potens est termina-

minare actum voluntatis. Patet consequentia: quia agens, & finis mutuo sibi correspondent. Tum etiam: quia obiectum actus mali terminat illum, prout dicit carentiam seu privationem obiecti boni moraliter; nequit prout sic terminare, nisi prout pertinet ad lineam moralem: ergo.

44 Huic rationi, quæ satis est ex ore Adversariorum ad ostendendam probabilitatem nostræ sententiæ, respondent communiter, negando maiorem. Nam actus voluntatis licet feratur in obiectum dissonum legi, dissonantia se habente præcisè concomitanter, non verò fertur in ipsam dissonantiam: quia obiectum adæquatum voluntatis est bonum; obiectum verò vt dissonum est malum; & nullus respiciens ad malum operatur, vt ex D. Dionys. semper clamat D. Thomas.

Hæc tamen evasio satis præclusa manet ex dictis: tum quia actus malus specificatur ab obiecto vt morale; nequit specificari ab illo vt morali, nisi feratur ad illud vt morale: ergo actus malus non solum fertur ad obiectum secundum suum esse physicum, sed etiam prout est dissonum, dissonantia se habente de formali. Tum etiam: Nam malitia formalis actus dependet à malitia obiectiva obiecti in aliquo genere causæ, quod nequit assignari aliud nisi genus causæ formalis extrinsecæ, seu specificativæ: chimæra enim videtur, quòd actus sit malus; quia obiectum lege prohibetur, & quòd malitia actus non dependeat à dissonantia obiectiva obiecti; sed malitia privativa actus non dependet persè primò & directè à malitia obiecti, seu dissonantia illius cum lege: ergo posset aliam malitiam positivam, quæ ab ea persè primò dependet. Minor probatur: nam malitia privativa actus non specificatur ab obiecto, sed à rectitudine, cuius est privatio: ergo malitia privativa actus non dependet persè primò & directè à dissonantia obiecti. Tum denique: Quia actus peccaminosus non denominatur præcisè talis, quia est non volitio rectitudinis debite, sed etiam quia est volitio obiecti prohibiti: ergo sicut non volitio rectitudinis debite est non volitio rectitudinis debite in esse morali, ita volitio obiecti prohibiti terminatur ad illud in esse morali.

Nec ratio, qua evasio fulciebatur, convincit, propter infra dicenda in responsione argumentorum. Et adhuc interim refutatur ex Div. Thom. quæst. 1. de Mal. art. 1. ad 4. vbi ait: *Dicendum, quòd idè in moralibus magis quàm in naturalibus malum contrarium bono dicitur, quia moralia ex voluntate dependent; voluntatis autem obiectum est bonum, & malum.* Quibus in verbis Doctor Angel. loquens de bono, & malo in moralibus, expressè docet, vtrunque esse obiectum voluntatis: ergo licet repugnet, quòd actus volunta-

tis terminetur ad malum in esse physico, quo pacto loquuntur D. Dionys. & alibi D. Thomas, non tamen repugnat, quòd terminetur ad malum in esse morali.

## §. III.

## Secunda ratio pro nostra assertione.

45 **P**robatur secundò ratione nostrâ conclusio: Nam odium Dei v. g. prius intelligitur malum moraliter per oppositionem ad legem negativam, quam per oppositionem ad legem conditionalem charitatis; sed legi negativæ opponitur ratione alicuius positivi: ergo in odio Dei prius intelligitur malitia positiva, quam privativa: Maior est certa: nam odium Dei directè & immediatè opponitur legi negativæ prohibenti odium; mediatè verò & indirectè opponitur legi conditionali præcipienti rectitudinem charitatis: & in vnoquoque prior est oppositio immediatæ & directæ, quam mediata & indirecta. Minor verò probatur: nam per id immediatè opponitur legi, quod per talem legem immediatè prohibetur; sed quòd immediatè prohibetur per legem, est ipse actus positivus: nam lex positivè prohibet, ne fiat actus: ergo odium Dei opponitur legi negativæ ratione alicuius positivi. Adde: Legi affirmativæ præcipienti absolutè actum opponitur immediatè carentiam actus: ergo legi negativæ præcipienti carentiam actus immediatè opponitur actus; sed actus est aliquid positivum: ergo odium Dei per aliquid positivum opponitur legi negativæ.

Et confirmatur: Peccatum commissiõnis debet distingui in ratione peccati à peccato omisiõnis: sed potissima eorum differentia fit in eo, quòd per peccatum commissiõnis frangitur lex absolutè negativa, & per peccatum omisiõnis lex affirmativa: & hæc ratione primùm dicitur commissio, quòd sonat agere, & positivum: secundum omisiõ, quòd significat non agere, & privativum: ergo peccatum commissiõnis immediatè opponitur legi negativæ ratione positivi.

46 Huic rationi respondet ex Ferre quidam perdoctus Iunior almæ Complutensis Academiæ primarius Moderator, quòd odium Dei non opponitur legi negativæ, nisi quatenus est conditionalis affirmativa: siquidem nulla lex præcipit persè primò carentiam actus, cum pura omisiõ in sententia D. Thomæ sit mala. Ideoque lex negativa ita prohibet odium Dei, quòd simul præcipiat rectitudinem charitatis. Quæ ratione sicut peccatum omisiõnis de non ponendo actum charitatis imperatum opponitur immediatè rectitudini illius, ita peccatum commissiõnis opponitur immediatè eidem rectitudini.

Confirmatiõni respondet, retorquendo illam contra nos; qui tenemur asserere, iuxta



indubitata sententiam Div. Thomæ, peccatum commissionis, & omissionis non differre specificè. Undè existimat, non distingui ex parte formæ constitutivæ ea in ratione peccati, sed præcisè materialiter, & accidentaliter, hoc est ex parte substrati, vt homo albus, & equus albus.

Sed contra est. Nam præcepto absolute & primario prohibitive actus, & conditionaliter & ex consequenti, seu virtualiter præceptivo, per se primo opponitur actus ratione alicuius positivi, quamvis ex consequenti & secundario opponatur illi ratione privationis; sed lex prohibens odium Dei v. g. absolute & primario est negativa, & secundario seu virtualiter præceptiva rectitudinis, vt aperte fatentur Adversarij: ergo in odio Dei datur malitia positiva.

Urgetur hoc primo: Nam dari debet lex, qua in sui primaria expressione sit negativa, quamvis non possit dari lex, quæ ita sit negativa, vt ex consequenti & virtualiter non sit præceptiva; sed legi primario negativæ opponitur directe aliquid positivum, sicut illi vt præceptiva opponitur directe aliquid privativum: ergo in peccato odij Dei opposito legi modo prescripto necesse est statueri malitiam positivam. Maior solùm eget explicatione: nam licet non possit dari lex, quæ tantum prohibeat odium Dei absolute, seu quæ tantum absolute præcipiat carentiam odij Dei, aliis præciperet præcisè puram omissionem, quod in omni sententia Thomistarum est falsum, vel quia pura omisio voluntaria est impossibilis; vel quia pura omisio non est bona, sed mala; vel quia est non sit mala, non est bona: non verò repugnat, quòd detur lex primario & absolute prohibens odium Dei, seu præcipiens absolute carentiam, dummodò ex consequenti seu virtualiter præcipiat aliquam rectitudinem charitatis. Et hoc modo salvamus divisionem legis in affirmativam, & negativam communiter acceptam à Theologis, quæ ægè potest salvari, si lex negativa in primaria sui expressione efficit affirmativa, & præceptiva rectitudinis: ergo debet dari lex, qua in sui primaria expressione sit negativa.

47 Urgetur secundò: Nam lex illa negativa, prout est absolute negativa, prohibens odium Dei, sufficienter adimpletur ab eo, qui se voluntarie diverteret per actum aliquem ex aliqua parte pravum v. g. per studium ob vanam gloriam: quia qui eligit minus malum ad vitandum maius, certè adimplet legem prohibentem maius malum, licet frangat legem prohibentem minus malum. Hoc præcipue urget in eo, qui eliceret aliqua virtutis opera ex motivo vitandi odium Dei: ergo lex illa primario & absolute est negativa, quamvis secundario sit affirmativa. Probatur consequentia: nam si esset

primario præceptiva rectitudinis charitatis, illa lex, prout prohibet odium absolute, non adimpletetur in prædictis casibus, vt ex se liquet.

Urgetur tertio: Si lex negativa prohibens odium in sui primaria expressione efficit affirmativa, & præceptiva rectitudinis charitatis, in rei veritate non distingueretur à lege absolute affirmativa præcipiente actum charitatis, nisi per hoc quòd secunda non obligat semper, & prima obligat semper; sed hoc est falsum: ergo lex prohibens odium Dei in primaria sui expressione est negativa, & virtualiter, seu secundario affirmativa. Minor probatur: tum quia illa lex prohibens odium Dei absolute non præcipit totum actum charitatis, & lex absolute affirmativa præcipiens actum charitatis præcipit totum actum. Tum etiã (& simul explicatur procedens probatio.) Prima lex non præcipit, nec prohibet actum secundum gradum genericum; & secunda præcipit secundum gradum etiã genericum: & ex vi primi præcepti actus secundum gradum genericum non est moralis, cum præsupponatur ad legem; & ex vi secundi præcepti sit secundum prædictum gradum moralis. Tum denique, & argentiùs: Nam in eo, qui frangit præceptum primum, carentia rectitudinis recipitur in actu odij Dei; cum carentia rectitudinis ex vi secundi præcepti recipiatur immediate in potentia, quia est negatio totius actus præcepti; ergo lex negativa prohibens odium Dei in ratione legis affirmativæ distinguitur à lege absolute affirmativæ, & præcipiente actum charitatis.

48 Id, quo confirmationi respondetur, æquivocatione laborat. Nam aliud est quòd peccatum omissionis, & commissionis sunt eiusdem specie in genere moris purè morali; aliud, quòd sunt eiusdem specie in genere moris metaphysico, aut logico: sicut aliud est, quòd in eo, qui per eundem actum interiore intendit simul occidere plures homines, dentur plura peccata in genere moris metaphysico; aliud, quòd sunt plura peccata in genere moris purè morali. Licet peccatum omissionis, & commissionis sint eiusdem specie in genere moris purè morali (quod tantum intendunt Thomistæ cum suo Angel. Magist.) secus verò in genere moris metaphysico.

Et ratio evidens ex proximè dictis aperte colligitur: Nam in peccato commissionis, adhuc præcisè malitia positiva, malitia privativa est præcisè carentia rectitudinis sibi debita, non verò totius actus, quinimò determinatè non est carentia virtutis charitatis: in peccato verò omissionis malitia privativa est carentia totius actus ipsius charitatis; sed hæc carentia adhuc in genere morali nequeunt non specie metaphysica distingui: ergo metaphysicè distinguuntur in genere moris. Minor probatur: nam ex vna

par-

parte carentia distinguuntur per formas, quas privat: Deinde sunt in genere morali, vt potè subiectæ legi absolute præcipiente actum charitatis, & legi conditionatè præcipiente rectitudinem in materia charitatis latè sumptæ; sed formæ distinguuntur specie: ergo etiã privationes in genere morali metaphysico.

Cum quo rectè coheret, quòd in genere purè morali sint eiusdem specie: quia motivum, ex quo desumitur hæc species, est eiusdem rationis. Pro quo videantur N. Salmant. in hoc tract. disp. 8. dub. 1. vbi hanc doctrinam perspicuè, vt solent, declarat. Et elucidari valet exemplo super insinuatò: nam is, qui eodem numero actu intendit occidere plures homines, non habet nisi vnam malitiam metaphysicam: quia duo accidentia metaphysica, aut physica tantum numero distincta nequeunt recipi in eodem subiecto; & tamen in genere morali purè morali dantur plura peccata explicanda in confessione.

Diximus suprà, adhuc præcisè malitia positiva: quia, hæc ex iam dictis stabilita, evidentius constat, peccatum commissionis, & omissionis esse distincta specie metaphysica: cum positivum, & privativum in nullo genere conveniant, licet non distinguantur specie in genere morali purè morali.

## §. IV.

## Tertia ratio pro nostra assertione.

49 Tertio probatur ratione nostra assertio: Bonum, & malum moralia reduplicativè vt talia possunt opponi oppositione propriè contraria; sed oppositio propriè contraria versatur inter formas positivas: ergo datur malitia positiva in peccato commissionis. Maior, in qua est difficultas, probatur: tum ex Philof. in Postpredicam. cap. de Opposit. vbi, loquens de contrarietate propria, ait, ita opponi bonum, & malum: studiosum, & virtuosum, iustitiam, & iniustitiam, sicut album, & nigrum, dulce, & amarum. Tum ex D. Thom. quæst. 1. de Mal. art. 1. ad 4. vbi hæc habet verba: Dicendum, quòd idè in moralibus magis quàm in naturalibus malum contrarium bono dicitur, quia moralia ex voluntate dependent: voluntatis autem obiectum est bonum, & malum: omnis autem actus denominatur, & speciem recipit ab obiecto. Sic ergo actus voluntatis, in quantum fertur in malum, recipit rationem, & nomen mali: & hoc malum contrariatur propriè bono. Et hæc contrarietas ex actibus in habitus transit, in quantum habitus, & actus simulantur. In quibus verbis aperte loquitur de malo morali, & quod non vtrumque, sed propriè contrariatur bono.

Tum denique ratione: Quia non potest

negari in sententia Philosophi, & D. Thomæ, quòd in moralibus inter bonum, & malum datur stricta contrarietas; sed hæc non exerceret præcisè inter substratum vnius, & substratum alterius: ergo inter bonum, & malum pro formaliter. Maior est certa. Et minor probatur primò: nam volitio comedendi carnes die prohibito est mala, & in die non prohibito est bona; & tamen quoad substratum est eiusdem rationis: ergo vera, & propria contrarietas non exercetur inter substratum vnius, & substratum alterius. Secundò: Habitus virtus essentialiter est vitium, & habitus virtutis essentialiter est virtus, vt contra Scotum tenet communis sententia Thomistarum: ergo idem est exerceri strictam contrarietatem inter substrata, ac inter bonum habitum vt bonum moraliter, & malum vt malum moraliter.

50 Huic rationi, spretis adhuc ab ipsis Adversarijs Recentioribus alijs solutionibus, respondent communiter, concedendo strictam contrarietatem tam inter actum vitiosum, & actum virtuosum, quàm inter similes habitus: negant tamen, huiusmodi contrarietatem versari inter ipsa formaliter vt moralia, sed præcisè inter ipsa substrata: nec oppositum, inquit, posse colligi ex Philof. & D. Thomæ. Ad primam probationem respondent, quòd volitio illa comedendi carnes, vt sit immediatum substratum bonitatis, & malitiæ moralis, debet esse tendentia in obiectum ob aliquem finem, cui adiuncta sit consonantia, aut dissonantia cum lege. Porro volitio illa comedendi carnes in die prohibito, vt sit propriè contraria volitioni comedendi carnes in die non prohibito, non requiritur, quòd sint volitiones expressæ dissonantiæ; sed sufficit, quòd, non obstante cognitione dissonantiæ, tendant in comestione ob fines contrarios: nam volitio bona tendit ad illam ob finem honestum; & volitio mala propter ipsius delectabilitatem. Et licet dissonantia, vel consonantia sit quid accidentale actui in esse nature, secus verò in esse substrati bonitatis, & malitiæ.

Ad secundam respondent, quòd licet omnes Thomistæ sustineant, malitiam in habitibus esse quid essentialiter connexivè, quando perseverant in esse habitus, & in esse substrati immediati moralitatis; secus verò constitutive. Imò nec connexivè, quando non perseverant in esse habitus, & in esse substrati immediati moralitatis: quo pacto non perseverant in homine iusto, cum sint formaliter mali: aliàs conservaret Deus gratiam cum malo formaliter morali. Ita prælaudatus Recentior in suis Manuscriptis.

51 Sed hæc evasio quoad omnes suas partes refellitur. Et quoad primam partem sic: Nam oppositio propriè contraria, & inter bonum, & malum formaliter vt moralia non versatur præ-

cise

cise inter substrata, sed etiam inter ipsas formas morales; sed iuxta D. Thomam inter bonum, & malum ut *moralia* formaliter datur oppositio proprie contraria: ergo oppositio proprie contraria non versatur precise inter substrata. Minor probatur: nam imprimis D. Thomas expresse loquitur de moralibus, ut contrapositis naturalibus, in illis verbis, *ideò in moralibus magis quam in naturalibus: item in sequentibus, voluntatis autem obiectum est bonum, & malum: ubi sicut bonum exponitur de bono non solum naturali, sed morali, ita debet malum intelligi de malo formaliter ut moralis; sed de hoc malo expresse asserit contrariari bono, in illis verbis, & hoc malum contrariatur proprie bono: ergo iuxta D. Thomam datur oppositio proprie contraria inter bonum, & malum formaliter ut moralia, & non precise inter substrata. Sed de hoc satis, quia hæc oppositio contraria in ordine morali evidentius constabit impugnando hanc eandem evasionem quoad reliquas partes.*

52 Deinde refellitur quoad secundam partem. Nam volitiones illæ non solum tendunt positive in delectabilitatem physicam obiecti, sed etiam in ipsam delectabilitatem ut consonam, & consonam rationi: item non solum tendunt in fines contrarios physice, sed etiam ut contrarios moraliter: ergo sunt positive contrarie in ordine morali. Antecedens quoad primam partem, ex qua dependet secunda, suadetur: quia volitio comedendi carnes in die non prohibito tendit ad obiectum, prout est consonum formaliter rationi: ergo etiam volitio comedendi carnes in die prohibito tendit ad obiectum ut formaliter dissonum rationi. Antecedens facile concedunt Adversarij. Consequentia verò probatur: nam volitiones illæ nequeunt opponi proprie contrarie, prout vna tangit delectabilitatem obiecti formaliter ut consonam rationi, & prout alia tangit precise illam in esse physico, cum non sint sub eodem genere, ut potè vna existens formaliter in ordine morali, & alia tantum in esse physico; sed nequeunt opponi contrarie, prout vtraque tendit ad delectabilitatem in esse physico: ergo solum possunt opponi proprie contrarie, prout vna tendit ad obiectum ut dissonum rationi, & alia ut consonum rationi. Minor, si intelligatur de delectabilitate in esse physico materialiter sumpto, non potest ab Adversarijs negari: unde solum probanda est de delectabilitate, vel prout formaliter dicit consonantiam, & dissonantiam: vel prout in recto dicit formaliter, & immediate substratum, & consonantiam; & dissonantiam in obliquo, seu per modum conditionis. Probatur ergo minor, delectabilitate considerata primo modo: Nam prout sic iam est formaliter in esse morali: ergo illæ volitiones, si tantum opponantur contrarie prout tendunt ad delectabilitatem hoc modo, non opponuntur contrarie prout tendunt ad delectabilitatem in esse physico, sed potius prout tendunt ad illam in esse morali. Probatur insuper, delectabilitate considerata posteriori modo: Nam substrata, quæ sunt mere substrata alicuius oppositionis, nec possunt dici in ratione talium proprie opposita: ut liquet in homine albo, & nigro, qui in ratione substrati, etiam si connotent albedinem, & nigredinem, nequeunt in proprietate sermōnis dici contrarij; neque possunt subire aliam denominationem oppositionis, nisi eam quam præstant formæ in ratione formarum; sed per vos delectabilitas est mere substratum bonitatis, & malitiæ, seu consonantiæ, & dissonantiæ, aliàs esset ultra hoc fundamentum proprie tale, ac proinde incausabile à Deo: ergo, adhuc considerata delectabilitate in ratione immediatè substrati, & connotante dissonantiam, & consonantiam, non admittit oppositionem proprie contrarietatis. Tum etiam probatur primo illud antecedens ex dictis duobus præcedentibus, à quibus abstinemus, ne semel acterum agamus.

Tandem refellitur prædicta evasio quoad tertiam, & ultimam partem, in qua continentur plurimæ: Nam imprimis falsum est, quod malitia, seu bonitas in habitibus non sit quid essentialiter constitutive. Tum quia virtus formaliter ut virtus est proprie & essentialiter habitus non solum connexive, sed etiam constitutive, ut tradunt discipuli Div. Thomæ cum suo Angel. Magist. supra quæst. 55. art. 1. & nos tradidimus tract. præced. disp. 1. dub. 1. ergo etiam vitium ut vitium est essentialiter habitus non solum connexive, sed etiam constitutive; sed vitium ut vitium importat essentialiter constitutive malitiam: ergo malitia non solum est essentialis habitui vitij in ratione habitus connexive, sed etiam constitutive. ¶ Tum etiam: Nam D. Thomas supra quæst. 54. art. 3. ad 2. hæc habet verba: *Malum, quod est differentia constitutiva habitus* (in quibus verbis supponit, malitiam esse essentialem non solum connexive, sed etiam constitutive) *non est privatio pura, sed est aliquid determinatum repugnans determinatæ naturæ: ergo quidquid sit, quod malitia non sit constitutiva vitij in ratione habitus, malitia verò constitutiva illius in ratione vitij est positiva.* ¶ Tum denique: Nam vitium in ratione habitus specificatur ab actu non physice sumpto, sed ab actu prout dissonum rationi; sed prout sic iam importat formaliter malitiam: ergo in ratione habitus importat malitiam non solum connexive, sed etiam constitutive. Maior probatur primo: nam virtus in ratione habitus specificatur ab actu non physice sumpto, sed prout consonum rationi: ergo etiam vitium in ratione habitus specificatur ab actu prout formaliter dissonum rationi. *Secundo:* Nam potentia solum indiget habitu ad id, quod

per vires proprias non potest attingere; sed voluntas per vires proprias potest attingere actum in esse physico, secus verò in esse morali: sicut potest attingere actum virtuosum naturalem secundum suum esse physicum, secus verò quoad bonitatem moralem, vel latè probabimus loco supra citato dub. 3. ergo.

54 Deinde falsum est, quod in recenter iustificato non remanent habitus. Nam iuxta probatissimam sententiam D. Thomæ supra quæst. 49. art. 2. quam elucidant N. Complut. abbrev. in Logic. disp. 15. quæst. 3. habitus & dispositio in ratione talium distinguuntur specie: ergo remanent vitia in ratione habitus. Probatur consequentia: nam in recenter iustificato remanent dispositiones ex actibus pravis causate inclinantes ad malum, ut expresse tradit D. Thom. 3. part. quæst. 86. art. 5. sed huiusmodi dispositiones nequeunt non esse ipsissima vitia in ratione habitus: ergo in ratione habitus remanent. Minor probatur: nam ex vna parte eadem entitas nequit transire de vna specie essentiali ad aliam essentialem: quia, re destructa quoad gradus superiores, necesse est, quod destruat quoad sui individuationem & entitatem: deinde non est, qui producat de novo in recenter iustificato ex vi iustificationis dispositiones inclinantes ad malum: ergo tales dispositiones manentes in recenter iustificato non sunt proprie dispositiones, sed habitus rigorosi.

55 Nec contra hoc obstat, quòd D. Thom. perpetuò tradit, vitia manere in iustificato in ratione dispositionis, & in via corruptionis. ¶ Non, inquam, obstat. Tum quia sensus D. Thomæ non est, quòd remaneant proprie in ratione dispositionis, sed quasi dispositio quadam, ut potest videri quæst. 1. de Virtut. art. 10. ad 16. ad quod sufficit, quòd ratione gratiæ cohibeatur iustificatus, ne labatur in actus, ad quos vitia inclinant. Quia ratione sunt in via corruptionis: quia habitus possunt corrumpi per diuturnam cessationem à suis actibus, ut docet D. Thom. supra quæst. 53. art. 3. Non verò requiritur, quòd destruantur vitia quoad entitatem, & loco illorum succedant alie entitates, quæ proprie sunt dispositiones. ¶ Tum etiam: quia, ut tenet D. Thom. supra quæst. 49. art. 2. ad 3. dispositio potest sumi dupliciter: vel sicut se habet imperfectum ad perfectum intra eandem speciem; & hoc modo non distinguitur specie ab habitu: vel proprie ut dispositio, quatenus habitus, & dispositio sunt diverse species vnius generis. Quando ergo Div. Thomas inquit, quòd vitia remanent in iustificato in ratione dispositionis, necessario interpretandum est de dispositione primo modo sumpta, propter rationem proximè datam, quæ efficacissima est.

56 Tandem falsum omninò est, quòd habitus vitiosi non remanent in recenter iustificato, ut substrata moralitatis, quam habebant in statu

peccati: tum quia remanent in ratione habitus; sed per vos in ratione habitus dicunt essentialiter, saltem connexive malitiam moralem: ergo remanent in ratione substrati moralitatis. Tum etiam: nam in statu peccati sunt in ratione substrati moralitatis: quia important privationem moralitatis bonæ, qua donantur, & afficiuntur habitus boni contrarij; sed in statu iustificationis conservant prædictam privationem: ergo. Tum denique, nam in recenter iustificato manet per modum inclinationis ad malum, ut docet expresse Div. Thom. loco citato ex 3. part. his verbis: *Sublato autem eo, quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id, quod est ex parte conversionis inordinatæ... Et ideo nihil prohibet, quin remissa culpa, remaneant dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ...* (utique inclinantes ad malum) *remanent tamen debilitatæ, & diminuatæ, ita quod homini non dominantur.* Sed non inclinant tales habitus ad malum, nisi prout sunt essentialiter mali, vel prout sunt substrata formalia malitiæ: ergo.

Adde: nam si non remanent prout substrata formalia moralitatis, nihil erit in eis, quod non causetur à Deo, ut concedunt Adversarij: ergo possunt à Deo solo infundi. Patet consequentia: nam iuxta Adversarios sunt in ratione dispositionis, qua non causetur ab ipsa iustificatione, nec ab ipso iustificato per actus pravis in instanti iustificationis elicitos: ergo à solo Deo. Præsertim quia à solo Deo potest causari id, quod essentialiter adhuc connexive non importat malitiam moralem; sed iuxta solutionem datam prædictæ dispositiones nullam habent malitiam: quid ergo vetat, ut infundantur à Deo?

Neque inconveniens vllum est in eo, quòd Deus conservet gratiam cum malo formaliter morali. Tum quia malitia habitus non opponitur ratione sui gratiæ, sed ratione actus peccaminosi mortaliter. Tum quia defectò conservatur cum actu, & habitu pravis venialiter. Tum denique: quia prædicta malitia tantum est talis virtualiter, aut casualiter, quæ nullam oppositionem formalem dicit cum gratiæ; sicut nec malitia positiva, aut privativa potentia peccandi.

## §. V.

Ultima ratio pro nostra assertionem.

57 Probatur ultimo nostra sententia, & evertitur simul præcipuum fundamentum Adversariorum. Potest dari aliqua formalitas positiva, quæ secundum suum explicitum non causetur à Deo, licet secundum implicitum entitatis causetur ab ipso: ergo ex vi huius capituli non repugnat, quòd peccatum commissionis habeat aliquam malitiam positivam. Antecedens, in quo vnicè est difficultas, suadetur primo: nam